

Bryn Mawr College

Scholarship, Research, and Creative Work at Bryn Mawr College

Hermann Sauppe Library

Bryn Mawr College Publications, Special
Collections, Digitized Books

1801

**Commentatio philologico-aesthetica qua Ciceronis de fine
eloquentiae sententia examinatur & cum Aristotelis, Quinctiliani &
recentiorum quorundam scriptorum decretis comparatur**

Heinrich August Schott

Follow this and additional works at: <https://repository.brynmawr.edu/digitizedbooks>

[Let us know how access to this document benefits you.](#)

Citation

Schott, Heinrich August. 1801. Commentatio philologico-aesthetica qua Ciceronis de fine eloquentiae sententia examinatur & cum Aristotelis, Quinctiliani & recentiorum quorundam scriptorum decretis comparatur. Lipsiae.

This paper is posted at Scholarship, Research, and Creative Work at Bryn Mawr College.
<https://repository.brynmawr.edu/digitizedbooks/126>

For more information, please contact repository@brynmawr.edu.

C O M M E N T A T I O
PHILOLOGICO - AESTHETICA

Q U A

CICERONIS DE FINE ELOQUENTIAE SENTENTIA
EXAMINATUR ET CUM ARISTOTELIS, QUINCTI-
LIANI, ET RECENTIORUM QUORUNDAM SCR-
PTORUM DECRETIS COMPARATUR.

Q U A M

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
AUCTORITATE

A. D. XII. SEPT. MDCCCI

DEFENDENT

HENRICUS AUGUSTUS SCHOTT

LL. AA. M. ET PHILOS. DOCT.

E T

CAROLUS FRIEDERICUS CHRISTIANUS WENCK

L I P S I E N S I S.

L I P S I A E,

IMPRESSIT IOANNES GOTTLÖB HENRICUS RICHTER.

VIRO SUMME VENERANDO

AFFINI OPTIMO ATQUE CARISSIMO

M. CHRISTIANO GOTTLERO
CASPARI

ANTISTITI SACRORUM ECCLESIAE ZHORTAVIENSIS

MERITISSIMO

HUNCCE LIBELLUM

SACRUM

ESSE VOLUIT

PIETAS AUCTORIS.

P r o l e g o m e n a.

§. I.

Constat inter omnes, eloquentiam nostrae aetatis, (eam dico, quae ad orationes proprie sic dictas pertineat) sive omnem illius indolem, sive vim et efficaciam, quam in animos hominum exserat, spectaveris, multum distare ab illa, quae olim in Graecorum Romanorumque conventibus publicis, concionibus, iudiciis fuerit audita. Cuius rei primariam causam non tam in segnitie quadam hominum nostrorum esse quaerendam, quam in omni hodierna civitatum indole (ita comparata, ut eloquentiae vel nullae, vel peregrinae in rebus publicis administrandis partes possint demandari, ideoque plurima eorum desint, quae oratores veteres, ut omnem diligentiam in facultate tam necessaria ipsisque utilissima perficienda ponerent, incitasse, tantamque laudem et admiracionem eloquentiae conciliasse videntur) iamdudum a pluribus viris doctis bene est observatum. Attamen cum usus facultatis oratoriae non omnino fuerit ex civitatibus nostris eliminatus, sed a foro et concionibus ad cathedram sacram translatus (quamquam neque eloquentiam forensem apud Anglos et Francogallos prorsus conticuisse, neque nostris praeter conciones sacras alia orationum genera ad gratias agendas, laudem, sollennitatem rituum quorundam augendam composita omnino esse inusitata, nemo ignorat), aetas nostra non tam perpetuis de corrupta eloquentia querimoniis a diligentiori illius studio et exercitatione avocanda, quam de iis, quae

A

orato-

oratoria facultas nostris temporibus possit ad animos vel emendandos vel honeste oblectandos conferre, recte edocenda, ad eandem, (quatenus per indeolem ipsius liceat) promovendam et perficiendam excitanda et ad ipsos huius rei saluberrimos fontes, assiduum et cum delectu ac iudicio institutam oratorum cum nostrorum, tum veterum in primis lectionem ac imitationem ducenda videtur. Quod quidem studium in oratoribus veteribus ponendum inter praesidia oratoriae facultatis augendae et perficiendae non immerito referri, facile, opinor, largietur, quicunque cum Isocrate, Demosthene, Cicerone, et aliis, quorum vim dicendi, copiam, ornatum aetas nostra admiratur facilius, quam adsequitur, aliquam familiaritatem contraxerit. Sed quemadmodum in omnibus aliis artibus theoria cum exercitatione et imitatione ita est coniungenda, ut illa leges nobis suppeditet, quibus ipsa exercitatio regatur, ne sensu nostro interno (qui interdum fallit) ubique confisi, quae laudabilia sint, vitiosa, quae vitiosa, laude digna putemus; ita cum oratorum veterum studio non sine maxima utilitate lectio eorum, qui inter veteres artis rhetoricae scriptores prae aliis eminent, (ARISTOTELIS, CICERONIS, QUINCTILIANI) coniungitur. Etenim ut taceam, eam rem ad omnem indeolem oratorum veterum recte cognoscendam et diadicandam haud parum conferre; nostri huius artis scriptores, et si nonnulla iusto maiori ubertate vel subtilitate ab illis pertractata fuisse, neque omnino ad nostram eloquentiam recte posse transferri, bene viderunt, alia ipsi altius, quam veteres, investigarunt, in primis subtiliori Psychologiae omnisque Philosophiae cognitione huic arti accommodanda, tamen haud exigua preeceptorum partem, quae nostris temporibus aequa ac illis accommodata esse intelligerent, ex illorum libris in suos transtulisse videntur¹⁾. Multum

1) Vide, quae de veteribus rhetoribus monuit Campbellius in praestantissimo rices scriptoribus breviter, sed acute, libro saepius nobis laudando: *Philosophie*

tum igitur iuvabit in theoria huius artis cognoscenda ad fontes illos
redeundo intelligere, quanam via oratores veteres incesserint, quas-
nam leges fuerint sequuti, quaenam praefidia adhibuerint, ut tot
ac tanta dicendi facultate efficerent ²⁾). Quae cogitatio cum nuper
praecipue legendis CICERONIS libris, qui ad artem rhetoricanam per-
tinent, animo excitaretur, non omnino inutilis et ingratus labor
in praeceptis huius scriptoris (summi eiusdem Latinorum oratoris)
ex illis libris eruendis, ordine quodam collocandis, cum ARISTOTE-
LIS, QUINTILIANI, et recentiorum quorundam scriptorum decre-
tis comparandis atque examinandis poni videbatur. Duplicem maxi-
me huius rei usum fore putabam, hermeneuticum alterum et criti-
cum, alterum aestheticum. Nam quod aetas nostra iampridem intel-
lexisse videtur, haud leve esse scriptorum veterum explicandorum
emendandorumque praesidium comparationem scriptorum, qui
unum idemque argumentum tractaverint, quorum alter alterius scri-
pta saepius fuerit imitatus, laudaverit, in rem suam adhibuerit, id ea-
dem ratione potest debetque ad artis rhetoricae scriptores trans-
ferri. At eadem via facile aliud commodum nobis comparabimus,
quod in eo cernitur, ut de unius cuiusque scriptoris indole, virtu-
tibus, vitiisque, et usu, qui ad eloquentiam nostrae aetatis perti-
neat, recte iudicare discamus. Utriusque rei cogitatio fecit, ut
ipse ad talem scriptorum illorum comparationem, nondum, quan-
tum scio, singulari libello pertractatam ³⁾ exercitationis causa in-

A 2

stituen-

*Sophie der Rhetorik, aus dem Englischen
übersetzt von D. JENISCH. Berlin, 1791.
8. p. 25. 26.*

2) His de causis concionatori sa-
cro futuro studium illorum scripto-
rum maxime commendandum putavit
HERDERUS: *Briefe das Studium der
Theologie betreffend*, T. IV. p. 244.

3) *Quod non ita monemus, quasi*

eam rem nemini in mentem venisse,
neque a quoqam breviter tentatam
fuisse putemus. Huc pertinet LAW-
SONIUS in libro: lectures concer-
ning oratory delivered in Trinity-
college etc. in linguam nostram trans-
lato et duobus volumin. edito. Ti-
guri, 1777. 8. T. L. HUGO BLAI-
RIUS: *lectures on rhetorique and
belles*

situendam animum adpellerem, et, quid per virium tenuitatem
hoc in genere proficere liceret, tentarem. Jam quoniam nuper his
meditationibus intentum scribendi necessitas urgeret, argumenti,
cui tractando me magis idoneum sentirem, inopia potius, quam
inepto ostentationis studio ductus aliqua ex iis, quae subinde no-
taveram, publico virorum doctorum examini submittenda putavi,
hac simul spe fretus, fore, ut, si hoc sp cimen viris doctis non
prorsus fuerit improbatum iudiciis eorum de variis, quae ad rem
illam recte peragendam pertineant, meliora edocto labore illum
alio tempore maiori cum studio et utilitate liceat continuare. His
semel animo constitutis, de argumento huic primo specimini accom-
modato eligendo non diu deliberavi. Intelligebam enim, iis, qui
CICERONIS de arte oratoria sententias recte cognoscere velint, pri-
mum omnium hanc sese quasi sponte obferre quaestionem: quid-
nam

belles lettres quas acroases vernaculae
vertit Cl. SCHREITERUS. (Lignitz
und Leipzig, 1785 — 89. Volt. IV.)
T. III. p. 177 — 181. ROLLINIUS
in praefatione editioni QUINCTI-
LIANI ad usum scholarum accom-
modatae praemissa (Witceburi,
1776. 8.). Tum de ARISTOTELIS,
CICERONIS, QUINCTILIANI libris
rhetorici separatim quaedam bene
disputata invenimus in praefationibus
lexicorum technologiae Graecorum
Latinorumque rhetoricae a Viro Cl.
CHRIST. THEOPH. ERNESTIO edi-
torum, (Lipf. 1795. 97. 8.) de ARI-
STOTELE nominatim a Cl. BUHLIO
in praefatione et introductione praemissa
arti rhetor. ARISTOT. quae
Tomo IVto editionis BIPONT. a BUH-
LIO curatae continetur. Praeterea
haud parum adiuvatur talis compara-

tio usu librorum, qui praecepta rhe-
torica a veteribus tradita vel eruta
tantum et collocata, vel etiam no-
stra aetati accommodata proponunt,
quales sunt Jo. AUG. ERNESTII (initia
rhetorica), VOSSII (institutiones ora-
toriae, eiusdemque liber de rhetori-
cas natura et constitutione), SCHEL-
LERI (praecepta stylis bene latini),
FRIEDER. GUIL. HAGENII (Materi-
alien zur Uebung in der guten lateini-
schen Schreibart aus den oratorischen
Werken des CICERO und QUINCTILI-
AN mit erläuternden Zufäßen aus den
neueren brevissimis Schriften), GIE-
RIGII, WIEDEBURGII, aliorumque,
quos Celeb. BECKIUS. Praeceptor
omni pietate colendus in praeceptis
artis latine scribendi. p. 50. et aliis
locis laudavit.

— 5 —

nam noster de fine primario 4) omnis eloquentiae senserit. Quae ita comparata est, ut, si ei recte respondeatur, simul hoc intelligi possit, quanam definitione vim huius facultatis comprehendendam putaverit. Nam veram et accuratam eloquentiae (ut ceterarum artium) definitionem maxime e fine illius pendere, cum omnibus est in promptu positum, tum a scriptoribus nostris (ut postea videbimus) bene intellectum. Sed anteaquam ad rem ipsam progredimur, necesse est pauca quaedam non tam copiosius disputemus, quam breviter indicemus, quorum ratio habenda sit iis, qui de praceptoris eloquentiae a CICERONE propositis recte velint iudicare, eademque cum ARISTOTELIS, QUINTILIANI, et praeceptuorum, qui nostra aetate emineant, huius artis scriptorum sententiis comparare. Etenim, ut causas et rationes singulorum praceptorum bene intelligas, neque temere scriptorem vel laudes, vel reprehendas, eo praecepue conferre videtur verum et subactum de omni indole atque consilio scriptoris iudicium. Quae disputatio quum proxime sit cum ipsa hac comparatione coniuncta, neque, anteaquam ad finem fuerit perducta, recte institui possit, ac praeterea si omnia, quae hoc pertinent, iam uberiori persequi velimus, metuendum sit, ne non tam aditum ad rem ipsam nobis parare, quam singularem tractationem scribere videamur; licet nobis hoc officio paucis defungi, atque ea breviter commemorare unde appareat, quanam via nobis in illa comparatione recte instituenda sit incedendum.

§. 2.

4) Sic definitius exprimenda quae-
stione nostra satis cavisse videamus, ne
quis putet, nos iam de eo esse quae-
sturos, quidnam scriptor noster et
ceteri, quos cum illo comparaturi su-
mus, de fine proximo uniuscuius-
que orationum generis praeceperint,
quem ita a veteribus constitutum fu-

sse neminem fugit, ut genus iudi-
ciale ad iustum et aequum, iniustum
et iniquum, deliberativum ad utilita-
tem vel dampnum, demonstrativum ad
honestatem vel turpitudinem vel ho-
minis cuiusdam vel facti demonstran-
dam pertineret.

Ac primum quidem tres illos, qui apud veteres extiterint, principes artis rhetoricae scriptores in eo convenire videmus, quod non universam bene scribendi rationem sermoni soluto accommodatam (*Theorie des prosaischen Styls überhaupt*) libris suis voluerint complecti (id quod nostri huius artis scriptores fere omnes fecerunt, exceptis iis, qui solam eloquentiam sacram praceptis illustrarunt) sed tantum de orationibus proprie sic dictis recte conformandis (quarum usus apud veteres frequentior fuit, quam nostra aetate) praecipere. Ipsius quidem *eloquentiae* vocabuli (quod non semper ipsam bene dicendi facultatem per se spectatam, sed interdum usum potius huius facultatis denotare videtur CICERO de orat. l. 1. c. 9. §. 37. edit. ERNEST. QUINCTIL. institutt. oratt. l. 11. c. 1. §. 25. edit. GESNER. add. §. 31.) non satis certa est ac definita significatio, sed interdum latius patet, ita ut omnem bene scribendi rationem (de orat. l. 2. c. 13. 14. in. orator. c. 20. §. 68. QUINCTIL. institutt. oratt. l. 10. c. 2. §. 22. ubi historicis, philosophis, poëtis eloquentia tribuitur) et, ni omnia me fallunt, sermonem quoque vitae communis politum atque facetum comprehendat (de orat. 1. 8. §. 32.). Similiter vocabulorum: *oratio* et *orator* significatio apud CICERONEM non videtur arctioribus esse limitibus circumscripta. Nam ipse l. 1. de orat. c. 6. satis aperte declarat, vim ipsam oratoris et professionem bene dicendi hoc exigere, ut orator de omni re, quae sit proposita, ornata et copiose dicat. Quam sententiam CRASSUS, qui ipsius CICERONIS personam in his dialogis sustinet, c. 11. sqq. uberius persequitur, et contra SCAEVOLAM ita defendit, ut ostendat, etsi Philosophi quidam de rebus suis satis ornata fuerint loquuti, tamen hanc orationem, ornatumque verborum non Philosophiae, sed huius dicendi facultatis esse propriam et ab ea petendam. Alibi historiam inter oratoris munera refert

refert (de or. l. 2. c. 15. §. 51. c. 15. in.) et in orat. c. 11. §. 37. orationum generi etiam historias et alias scriptiones subesse monuit ⁵⁾). Attamen alia sole clarius ostendunt, noluisse vel CICERONEM, vel QUINCTILIANUM de omni eloquentia, quae latissimo vocabuli sensu ita dicitur, praecipere. Nam ille quidem ut l. 1. de invent. c. 5. 6. ita in partitt. oratt. c. 3. §. 10. (add. Topica. c. 24.) ad materiam eloquentiae (in qua facultas oratoria versetur) nonnisi haec tria retulit: laudationem et vituperationem (genus demonstrativum) sententiae dictionem (genus deliberativum) accusacionem et defensionem (genus iudiciale) neque nisi de illis paecepta proposuit. In dialogis vero de oratore nonnisi genus iudiciale et deliberativum tractaturum se esse, exemplum plurimorum, qui inter Graecos fuerint, dicendi magistrorum sequutum, ipse in prooemio l. 1. (c. 6.) significat, atque tertium illud genus laudationum removet quasi a paeceptis suis, neque nisi semel (de orat. l. 2. c. 84. 85.) breviter percurrit, his quidem de causis, quod partim minus in usu esse soleant laudationes, quam orationes civiles, partim paecepta, quae ad id genus pertineant, ex iis, quae de reliquis duabus monita fuissent, facile liceat ad laudationes transferre (l. 2. c. 10. ex. 11. in.). Denique in libello: *orator*, inscripto ne suasiones quidem complecti voluisse videtur, efr. c. 11. ex. reliquarumque rerum formam, quae absunt a forensi contentione — non complectar hoc tempore. Hinc c. 19. 20. discrimen, quod hancce forensem eloquentiam inter et reliqua illius genera intercedat, accuratius constituit et c. 21. in. eloquentem eum esse vult, qui in foro causisque civilibus ita dicat, ut probet, delectet, flectat. QUINCTILIANUS autem, et si ipse instit. oratt. l. 2. c. 22. aperte profitetur, mater-

riam

5) Cautior fuit in usu horum vocabulorum QUINCTILIANUS, qui l. 5. c. 11. §. 39. l. 10. c. 2. §. 21. saepe orationes distete historiis, et et 22.

riam esse rhetorices (dicendi facultatis) omnia quae sint ad dicendum oratori subiecta, tamen easdem tantum tres species causarum (in quas cetera omnia incident) constituit (l. 3. c. 4.) iisque praecpta his institutionibus comprehensa accommodat. Eodem modo de ARISTOTELIS sententia qui l. 1. c. 2. dicit, ἐντομην esse facultatem in quacunque re (*περι εκαστον*) perspiciendi, quid insit ad persuadendum accommodatum, quamquam ipse c. 3. nonnisi tria esse putat ἐντομην et λογων ἐντομην genera (*δικαιον, συμβελυτικον, επιδεικτικον*) et l. 3. c. 1. diserte omnia elocutionis praecpta ab institutione sua separat, quae ad orationes proprie sic dictas nihil pertineant, iudicandum videtur.

At praeterea saepe animadvertisimus, non tantum in illis CICERONIS libris, quibus noster vel solum genus iudiciale ac deliberativum, vel iudiciale tantum complecti voluerit, sed in ceteris quoque, itemque in ARISTOTELE et QUINTILIANO (quorum neuter vel deliberativum vel laudativum genus a praceptis suis separandum putaverit) tamen genus iudiciale copiosius pertractari et primarium quasi locum obtainere, ita ut praecpta proposita huic generi praecipue accommodentur, atque plurima (ne dicam, omnia) ex eo petantur exempla. Causam huius rei in ipsa indole atque natura orationum iudicialium reperisse mihi videor, quae ita fuit comparata, ut haud exigua pars praceptorum vel ad solum genus iudiciale pertineat, vel, et si ad alia recte posset transferri, tamen illius causa praecipue necessaria, ideoque ei maxime accommodanda, atque exemplis inde petitis illustranda esse videretur. Etenim (ut rem exemplis quibusdam comprobemus) quum in causis forensibus minime sufficeret, de aequo et bono, utili et inutili, turpi ac honesto, possibili et impossibili, ex notionibus universis neque tamen alte reconditis disputare, argumentorum genere ευτεχνω (non extra causam posito) uti, ad historiam et experientiam provocare, (quae quidem plerum-

rumque in ceteris orationum generibus sufficere poterant) sed praeterea argumentis ex iurisprudentia petitis, legibus, decretis, testimoniis, tabulis, tormentis, vel confirmandis vel refutandis multa essent conficienda; ac praeterea diversa controversiarum genera diversam argumentationis rationem requirerent; non poterat non ea pars rhetorices, quae inventionem complectebatur, in genere iudiciali multo esse copiosior quam in reliquis⁶⁾. Ipsius controversiae recte diiudicandae causa debebat plerumque res omnis singulari orationis parte, narratione (suasionibus minus necessaria) uberior exponi. Orator forensis quum non modo suam sententiam tueri deberet, sed etiam adversarium (vel accusatorem, vel defensorem) refutare; et singularis orationum pars (refutatio, quae confirmationem exciperet) huius rei causa constituebatur, et multa praecipi solebant, quae orator in aliis orationis partibus ad fidem et auctoritatem adversario detrahendam, ipsum deterendum, plagas eius recte evitandas utiliter ageret, (quo in primis usus facetiarum debet referri) non item ubique suasionibus necessaria. Animos hominum affectibus nunc deprimendis, nunc excitandis omni ratione tractare, quamquam etiam suadentibus et dissuadentibus permultum profuit, in primis tamen oratori forensi utile esse videbatur (quod diserte monuit ARISTOTELES arte rhetor. l. 2. c. 1.). Haec et alia, quae in primis orationum iudicialium causa praecipienda videbantur, quum proxime essent cum iis coniuncta quae pariter ad omnia omnino orationum genera transferre liceret, ea plerumque ita tractabant, ut praecipue orationum forensium mentionem facerent, et, quanam ratione reliquis generibus essent accommodanda, vel omnino non ostenderent, vel breviter declararent.

Cete-

6) Hinc l. 1. de invent. c. 7. ex. h. l. sensu angustiori de controversiis inventio princeps esse dicitur omnium partium potissimum in omni cau- judicialibus dici (vd. Cl. ERNESTII lexicon technol. Latinn. rhetor. sub farum genere. Vocabulum *causae* h. v.) ex sequentibus intelligimus.

Ceterum scriptores nostri fere omnia libris suis complexi sunt, quae ad quinque illa oratoris officia ab antiquis Rhetorices scriptoribus constituta (inventionem argumentorum, dispositionem, elocutionem, memoriam, actionem et pronunciationem) pertinere viderentur. Unus ARISTOTELES de memoria nihil praecepit. Ex his omnibus sponte apparet, non posse quenquam vel de CICERO-
NE, vel de ARISTOTELE et QUINTILIANO recte iudicare, eorumque praecepta cum decretis recentiorum huius artis scriptorum comparare, nisi hoc teneat, aliam esse rhetorices institutionem eloquentiae veterum, aliam nostrae aetati accommodatam, nec ubique posse in libris eorum praecepta quaeri, quae vel ad omnem omnino bene scribendi rationem, vel ad tales, qualibus nostri utantur, orationes pertineant. Quod non ita disputamus, quasi negemus, inesse permulta, quae vel iisdem verbis expressa, vel paullulum immutata nostris quoque oratoribus aliisque scriptoribus non satis possint commendari. Ipsa illa de inventione argumentorum praecepta quanquam unice iis, quae apud veteres in usu fuere, orationum generibus accommodata esse videntur, nec raro eam redolent ubertatem et subtilitatem, quae patientiam lectoris egregie exerceat, possunt tamen interdum viam monstrare, qua oratori in ea argumentationis ratione, quae oratori potius, quam Philosopho aliisque scriptoribus conveniat, recte eligenda, itemque Rhetorices scriptori in Topice nostrae eloquentiae accommodata conscribenda (qualem nondum perfectam absolutamque vidimus) sit incedendum. Sed, ut in iis, quae hucusque breviter pertractavimus, illi artis rhetoricae scriptores in universum convenient, ita, si consilium cuiusque et indolem accuratius indagaveris, haud pauca reperies, quibus alter ab altero differat. Quae cum ita sint compara-
tiva, ut ad scriptores illos recte examinando atque comparando haud parum faciant, potiora ex iis delibemus necesse est.

§. 3.

Ipsius CICERONIS librorum rhetoriconum non idem est consilium, nec eadem ratio atque indeoles. Alii tironibus, alii iis potius scripti esse videntur, qui iam aliquid studio, lectione, exercitatione hoc in genere profecerint. Ad primum genus pertinent libri de inventione, Topica, partitiones oratoriae. Altero continentur dialogi de oratore, et libellus *orator inscriptus* ⁷⁾. Quos primo loco commemoravimus commentarios rhetoricos (qui propterea vulgo de inventione solent inscribi, quod priores duo, qui solum aetatem tulerunt, reliquis duobus deperditis, maxime in eo versantur, ut oratorem invenire doceant, quae in singulis causarum generibus et orationis partibus dicenda sint) eos ipse improbat l. 1. de orat. c. 2. §. 5. Haud dubie enim (quod iam pridem vidit QUINTILIANUS institt. oratt. l. 3. c. 1. §. 20. cfr. c. 5. §. 15. l. 2. c. 15. §. 6.) intelliguntur sub iis, quae sibi olim pueru aut adolescentulo ex commentariolis rudia et incheata exciderint, vix hac aetate digna et hoc usu, quem ex causis tot tantisque fuerit consequutus. Hinc vel sponte intelligitur, libros illos nobis non admodum esse ad consilium nostrum profuturos. Attamen quum non omnia eorum, quae his commentariis continentur, postea a nostro improbata fuerint, possunt subinde ceteri libri iis locis, ubi eadem praecepta proponuntur, aliquid lucis inde lucrari. Ceterum, quamquam cum aliorum, qui ante ipsum de arte oratoria scripserunt, tum ARISTOTELIS, qui saepe diserte laudatur (l. 1. c. 5. ex. c. 35. l. 2. c. 2.) vestigia pressissime videtur, inique tamen

B 2

sta-

7) Libros ad HERENNIVM scriptos olim perperam suisse CICERONI tributos, iam omnes fere uno ore continentur. Diversas de horum librorum auctore sententias breviter enumeravit FABRICIUS, ubi historiam lit-

teriam librorum CICERONIS rhetoriconum persequitur, bibl. Lat. T. I. p. 152. sqq. edit. ERNEST. add. VOSSIUS de rhetor. nat. et constitut. p. 92. 93.

statuat necesse est, qui eum nihil proprii iudicii attulisse existimet. Contrarium ex pluribus locis appetit. (Sic HERMAGORAS, qui teste QUINTIL. l. 3. c. 1. §. 16. novam quasi viam patefecit, quam plurimi sequerentur, saepe taxatur v. c. l. 1. c. 6. c. 51. et al.) Topica, quibus noster A. U. C. 709. in Graeciam proficisciens disciplinam argumentorum inveniendorum ab ARISTOTELE in Topicis propositam in C. TREBATII (Juris Consulti nobilissimi) usum ita tradidit, ut, libris ipsis destitutus, omnia memoria repeteret, et de suis quaedam adderet (vd. epist. ad divv. l. 7. ep. 19. Topica c. 1. et c. 26. ex.) nonnisi ad locum de inventione illustrandum interdum aliquid conferunt. Longe utiliores nobis fore intelleximus partitiones oratorias, haud improbabiliter a pluribus viris doctis ad A. U. C. 707. relatas; quanquam exinde, quod noster mentionem earum nunquam iniecerit, omnino colligi posse videtur, ne ipsum quidem magni eas habuisse. Etenim consilium scriptori nostro in hoc libello propositum filio adolescentulo omnem dicendi rationem denuo breviter tradendi, suadebat ipsi, ut potiora huius artis capita certo quodam ordine, perspicue, accurate (divisionibus et definitionibus adhibendis) filii quaestionibus respondendo proponeret. Inde fit, ut vis praceptorum quorundam, quae in oratore et dialogis de oratore minus perspicue et definite expressa, minus accurate pertractata, hic illuc dispersa videmus, ex partitionibus oratoriis rectius et facilius intelligatur. (Sic alio loco videbimus, finem primarium generis orationum demonstrativi in hoc libello multo accuratius a nostro indicatum fuisse).

Haec sponte nos ducunt ad indolem et consilium librorum de oratore (quos ipse pluribus locis vehementer probat, v. c. ad Att. 13, 19.) breviter declarandum. Excitatus a QUINTO fratre, ut de omni dicendi ratione aliquid politius iis, quae adolescens scriperat, proferret (de orat. l. 1. c. 2. §. 5) edidit A. U. C. 698. hos
de

de oratore sermones, qui olim M. PHILIPPO et SEXT. JUL. CAESA-
RE Coss. (de or. 1, 7.) A. U. C. 662. (quo noster vix annum aetá-
tis decimum sextum attigerat) inter L. LICIN. CRASSUM, M. AN-
TONIUM, Q. MUC. SCAEVOLAM, C. JUL. CAESAREM, Q. LUTAT.
CATULUM, C. AUREL. COTTAM, P. SULPIT. RUFUM in Tuseu-
lano CRASSI cum de omni dicendi ratione in universum tum de
singulis oratoris officiis fuerint instituti ⁸⁾). Quem dialogum, quo
minus vel omnino unquam habitum, vel eadem ratione institutum
fuisse putemus, impediunt alia CICERONIS loca, quibus de his li-
bris ita est loquutus, quasi ipse solus fuerit dialogi auctor (epist. ad
Att. 4, 16. 13. ex. 13, 19. ad divv. 1, 9. ex quo loco simul intelli-
gimus, eum praeципue ARISTOTELIS et ISOCRATIS artes rhetori-
cas ante oculos habuisse). Sed ut partim omnino dialogi formam
his in libris adhibendam putaret, partim illos potissimum viros lo-
quentes induceret, praeter suavitatem, quam illa ratio secum ad-
ferret, studiumque famae CRASSI et ANTONII consulendi (de or.
1. 2. c. 2.) alia quoque ipsum in pulisse videntur. Haud dubie enim
CICERONIS aetate permulti fuerunt, qui perversis de omni ratione
dicendi sententiis indulgerent, et satis exilem oratoris speciem ani-
mo informarent, ita ut sufficere putarent, cognoscendis ediscen-
disque notissimis vulgarium dicendi magistrorum praeceptis et
linguae celeritate diligenter exercenda id tandem effecisse, ut, ubi
necessitas postularet, satis probabiliter dicere possent; altam vero,
multiplicem, exquisitam litterarum artiumque cognitionem ab
oratore vellent removeri. Hos refutare studuit et alia edocere.
Hinc partim ipse in prooemiis (l. 1. c. 5. 6. l. 2. c. 1. ex. c. 2.
§. 3.) adversus QUINTUM fratrem, contrariae sententiae Patronum
monuit,

8) Argumentum et oeconomiam praemissa editioni huius dialogi ab
horum librorum uberioris persequatus ipso curatae, Braunschweig, 1795. 8.
est Cl. WETZELIUS in introduct.

monuit, longe aliter esse de oratoris studiis et exercitationibus sta-tuendum; partim CRASSUS, qui in his dialogis primariam sustinet personam ⁹⁾ per omnem librum primum hanc sententiam copio-sius contra ANTONIUM defendit, ad eandem saepissime reddit (v. c. l. 3. c. 14. 20. 30. sqq.) ac diserte monet, non mediocrem esse, qualem causarum necessitas postulet, sed perfectum, nullius orna-menti expertem, omni laude cumulatum oratorem, quem ipse iu-formet (vd. l. 1. c. 26. in. c. 62. l. 3. c. 22. 85.) i. e. eum, qui de omni re proposita copiose possit, ornate, varie dicere (c. 13. ex. 15. in.). Jam voluit quidem non tantum de omni dicendi ratione in universum disputare, sed de singulis quoque oratoris officiis praecipere (quod l. 2. et 3. ab ANTONIO, CAESARE et CRASSO fa-cutum esse videmus). Verum et comparatio eorum, quae ipse (de orat. l. 1. c. 6. §. 23. l. 2. c. 3.) huius consilii causa monuit et diligentior illorum librorum lectio facile quemvis docebit, ea tantum a nostro copiosius pertractata fuisse, quae minus nota, trita, omnibusque in promptu posita esse viderentur reliqua brevi-ter disputata, omnemque nimiam in praecipiendo subtilitatem et copiam studiosissime evitatam (cfr. l. 2. c. 11. 12. 18. 19. 27. §. 117. 31. 39. 40. 41. l. 3. c. 53 — 55.). Huic consilio scripto-ris apprime convenit ea ratio, quam in his libris adhibendam pu-tavit, ut sermonem inter viros illos (CRASSUM potissimum et AN-

TO.

9) Quum CICERO ad ipsius de ar-te orator. sententias proponendas vellet CRASSI persona uti (id quod com-paratio eorum, quae a CRASSO di-cuntur, cum aliis locis, ubi scriptor ipse loquitur, ostendit, vd. WETZE-LIUS l. 1. p. 7.) noster rem omnem bene ita instituit, ut CRASSUS par-tim per omnem lib. 1. et III. pluri-ma disputaret, et quasi doctorem ce-terorum ageret; partim laudibus,

quae ei a reliquis tribuerentur, ad-mirationibus, frequentissimis ad di-cendum exhortationibus distingue-rentur; atque ipse ANTONIUS, qui l. 1. aduersarium CRASSI egisset, l. 2. c. 10. haud obscure significaret, se magis ea de causa, ut, si fieri posset; CRASSUM disputando vinceret, quam ex vera animi sententia contra eum disputasse.

TONIUM) institutum exponeret. Nam quum de CRASSO et ANTONIO (utroque summo oratore diversis dicendi virtutibus conspicuo vd. BRUTUS c. 37. 38. 39.) CICERONIS aetate vana opinio ferretur, alterius mediocrem, alterius nullam plane fuisse doctrinam, poterant ii, qui dicendi facultatem a bonarum litterarum artium que studiis vellent separare, ad utriusque exemplum provocare (id quod scriptor noster et sibi et fratri accidisse perhibet l. 2. c. 1.). Hunc errorem ita tollere voluit, ut exponendis iis, quae olim a CRASSO et ANTONIO de omni dicendi ratione fuerint disputata, ostenderet, utrumque Graecarum artium litterarumque fuisse peritum, voluisse tamen illum, quo magis populo commendaretur, despicere, quae didicisset, hunc ne didicisse quidem videri (l. 2. c. 7. coll. c. 1. §. 4. l. 3. c. 4. ex. adde, quae uterque de studiorum suorum ratione monuit l. 2. c. 5. §. 21. 1, 48. in. coll. l. 2. c. 14. 36. 37. §. 156. et al.). Neque minus accommodata est indoles eorum, qui in his dialogis loquuntur, consilio scriptoris pracepta dicendi minus trita et vulgaria tradendi. Aderant enim partim viri aetate proiectiores, vel eloquentiae fama, vel aliarum rerum doctrina clari, omnes auctoritate et dignitate conspicui, partim iuvenes, qui ad summos honores in republica obtinendos aspirabant, iamque spem omnium de se pulcherrimam excitaverant. Sic facile vides, nota omnibus et vulgaria dicendi pracepta (prima quasi elementa rhetorices) nec ab illis uberius tradi, neque ab his requiri magnopere et desiderari potuisse, ideoque eum fieri debere librorum illorum usum, qui non tam ad universam artem rhetoricae ex iis descendam, quam singula bene et prudenter observata inde petenda, atque exemplis (quibus aptissime electis libri illi abundant) illustranda pertineat. Ipse vero dialogi usus, qui varietate quadam, artificio in diversa singularum personarum indole ipsi sermonibus expressa conspicuo, urbanitate multisque aliis rebus

bus lectores mirifice allicit¹⁰), fecisse videtur, ut (quod in eiusmodi sermonibus fieri solet) multa, quae alio loco disputata fuerant, vel additis quibusdam vel mutatis repeterentur (vd. l. 3. c. 27—30. coll. l. 2. c. 25. 26. et l. 3. c. 14. 20. 30. sqq. coll. iis, quae l. 1. de eadem re multo copiosius disputantur)¹¹) alia non satis accurate traderentur, et (quod COTT A l. 3. c. 55. in. in CRASSI disputatione factum esse animadvertisit) sine definitionibus effundentur. Accedit inconstans et ambiguus, qui tamen non in hoc uno libro deprehenditur, vocabulorum quorundam et formularum usus (cuius rei in ipsa disputatione nostra exempla permulta suppeditabimus) et ipsa metaphorarum copia (quae saepius verborum proprietatum inopiae, quam scriptoris consuetudini vitio vertenda esse videtur).

Haec omnia interpreti horum librorum vim, discriminem, ordinem singulorum praceptorum aliis recte exposituro haud exiguae obiciunt difficultates. Plurima eorum, quae de his dialogis propterea paullo copiosius disputavimus, quod iis praincipue ad rem nostram utendum esse videremus, licet pari iure ad libellum: orator, inscriptum, editum A. U. C. 707. ipsi non minus probatum (ad divv. 6. 18.) transferre. Ipse enim c. 14. in. (coll. c. 31. §. 112. c. 35. §. 123.) aperte profitetur, corollium sibi propositum non tam eo pertinere, ut praecepta rhetorices tradat, quam,

10) De ingenio et artificio librorum de orator. plura disputavit Jo. AUG. ERNESTI in singulari commen-
tatione, qua orationes in schola THOMANA habendae indicantur.
Lipf. 1736. 4.

11) Videtur tamen ipsa quoque omnis disputationis partitio (quae l. 2.

c. 27. ex. 28. in.) sic instituitur, ut primum de eo, quid dicendum sit, tum de modo dicendi quaeratur (quorum alterum cum altero arctissime esse coniunctum noster bene vidit, l. 2. c. 90. §. 366. l. 3. c. 5. §. 19.) non nihil ad hanc rem contulisse.

ut speciem formamque excellentis et perfectae eloquentiae adumbret. Perfectum oratorem eum putat, qui ubique, quid deceat, quid minus, intelligat. Vd. c. 21. 22. Quae virtus cum praecipue in eo cernatur, quod diversis dicendi generibus, prout causae, temporum, auditorum ratio postulet, uti possit, de his ipsis uberius disputat (c. 5 — 9: inpr. c. 23 — 32). At non tantum in omni oratione, sed in singulis quoque partibus, neque elocutionis tantum, sed etiam argumentorum inventionis, vel potius delectus, collocationis, actionis et pronunciationis causa, quid deceat, videndum. Hinc fere omnia, quae ad oratoris officia, et rerum scientiam, qua perfectum oratorem instructum esse oporteat, pertinent, breviter pertractantur, vd. c. 4. 32 — 34. 36. 15. 17. 18. 37. 41. (ordine rerum non accuratius servato) ita tamen, ut non tam praecepta proponantur, quam, quid perfectus orator earum rerum causa faciat, ostendatur. Longe copiosius persequitur noster locum de verborum compositione et oratione numerosa (inde a c. 44. usque ad finem) haud dubie ea de causa quod eam rem neque in ipsis libris oratoriis, neque ab aliis scriptoribus ¹²⁾ ita pertractatam esse videret, ut neque addi quaedam, neque emendari possent, ideoque, occasione satis idonea oblata, paullo uberius illustrandam putaret. Quae cum ita sint, hoc libello (permultis sane docte et acute observatis cumulato) eodem fere modo, quo libris de oratore, esse utendum, utrumque vero haud raro alterius ope explicandum sponte intelligitur. Exstant praeterea praefatio versioni latinae orationum AESCHINIS et DEMOSTHENIS contriarium, quarum illa CTESIPHON accusatur, hac defenditur praemissa (ad refutandam sententiam eorum conscripta, qui eos tantum attice dicere putarent, qui subtili ac tenui dicendi genere

ute-

12) Hinc inter alios ipsum ARI. vd. c. 57. 64. ex. c. 68.
STOTELEM faepius notat et corrigit,

uterentur) et dialogus de claris oratoribus, qui a L. BRUTO inde usque ad CICERONIS aetatem inter ROMANOS fuerint, BRUTUS inscriptus (editus vel A. U. C. 706. ex. vel seq. in. vd. WETZELII introductio huic libro praemissa in eiusd. edit. ab ipso curata HALAE, 1792. p. 4—6.). Qui dialogus quanquam non proxime ad oratorem instituendum formandumque pertinet, videbatur tamen lectio illius minime a consilio nostro esse aliena, quum scriptor non modo, ubi de virtutibus vitiisque singulorum oratorum loquitur, haud raro praecepta quaedam breviter addere soleat, sed interdum etiam nonnulla, quae ad hoc genus pertineant, copiosius illustret (vd. c. 49—54. c. 82. 83. 84.).

§. 4.

Multum a CICERONIS libris oratoriis (iis praecipue, de quibus modo paullo uberior disputavimus) omni indole atque ingenio differre videmus ARISTOTELIS tres libros de arte rhetorica¹³⁾. Quam rem quo minus altius investigemus quum limites introductio- ni praecripti impedian, liceat in universum breviter monere, maxi- mum in eo cerni discrimen, quod ille ipse fuerit summus orator; hic, et si nemo facile sensum boni et pulcri acutissimum diligentis oratorum et poëtarum lectione comparatum et iudicii subtilitatem ipsi denegare audeat, omni tamen tractationis ratione, se multo maiorem esse Philosophum quam oratorem, declarasse videatur. Nonne enim omnis definitionum divisionumque subtilitas, diligen- tia in causis praeceptorum indicandis adhibita, copiosior de bono et utili, rebus honestis et turpibus, iustis et iniustis, causisque et ge- neribus

13) Rhetorica ad ALEXANDRUM cum non ARISTOTELIS, sed aliorum rhetorum praecepta ab ipso collecta complectatur, ad consilii nostri rationem nihil pertinere videba- tur. Vide quae de hoc libro aliisque scriptis rhetoricis, quae olim sub ARISTOTELIS nomine ferebantur, Cl. BUHlius disputat loco supra in nota n. 3.) laudato.

neribus iniuriarum, de moribus et adfectibus disputatio, I. I. et II. (quae apud CICERONEM et QUINTILIANUM multo brevius pertractantur) Philosophum subtilem arguit? Clarissimum huius rei vestigium in eo deprehenditur, quod studium oratorum animos auditorum oblectando captandi aut adfectus excitandi ac deprimendi per se improbandum neque nisi genio faeculi et perversae auditorum indoli concedendum existimavit. Vd. l. 3. c. I. l. I. c. I. cfr. Cl. VATERI animadversi. et lectt. ad ARISTOTELIS tres libros rhetor. p. 9 — 11. Hinc brevitas illa, qua l. III. altera pars artis rhetoricae, quae de elocutione, actione, collocatione exponit, percurritur. Etenim quo certius nostro fuit persuasum, quaecunque non proxime ad ipsam probationem et argumentationem spectarent, ea perperam fuisse ad artem rhetor. relata, et ab aliis huius artis scriptoribus copiosius pertractata (vd. loca supra laudd.) eo magis huic officii sibi impositi parti paucis satisfaciendum putavit. At cur illum de moribus et adfectibus locum (qui pariter ac illa l. 3. disputata ad probationem ipsam nihil pertinet) pluribus persequitur? Haud dubie Philosophiae amor studiumque inpulit nostrum, ut hanc partem copiis suis paullo liberalius instrueret. Hinc fit, ut in ARISTOTELIS arte rhetorica partim frustra quaeras, quae CICERONIS lector non facile desiderabit (in primis elocutionem perspicuam, suavem, ornatam, multaque bene et acute observata, quae usus et diuturna consuetudo rhetorices scriptori, qui ipse multum diuque in foro et concionibus fuerat versatus, suppeditaret) partim diligentiam in notionibus recte constituendis explicandisque conspicuam, uberiorem tractationem eorum, quae non tam ad rhetoricon ipsam, quam ad Philosophiam rhetorices pertineant, et alia in CICERONE frustra quaesita reperias.

§. 5.

Omnem ambitum artis rhetoricae veterum, si quis ex uno libro recte et suaviter cognoscere velit, in primis adeat necesse est QUINTILIANI institutiones oratorias (quas non tantum filio, mortuo anteaquam dimidiam operis partem absolveret, sed aliis quoque iuvenibus scripsit, vd. prooem. l. 1. et l. 6.) huic consilio profecto accommodatissimas. Etenim neque ubertas iusta et copia in loco de inventione et dispositione explicando pariter, ac in reliquis institutionis rhetoricae partibus adhibita¹⁴⁾ neque illa, quam in ARISTOTELIS libris regnare vidimus, in explicando, definiendo, dividendo diligentia¹⁵⁾ (coniuncta tamen cum quodam iudicii acumine, quod minutias ab utilibus et necessariis bene distinguat) rerumque tractandarum severior ordo, nonnisi in singulis quibusdam capitibus pullulum neglectus¹⁶⁾, neque sermonis perspicuitas et elegantia, a diligenti CICERONIS lectione et imitatione profecta in QUINTILIANO desideratur. Praeterea addidit haud pauca, quae ab ARISTOTELE et CICERONE vel prorsus omissa vel minus accurate pertractata fuerant. Nam quum ceteri artis rhetor. scriptores vel nullam vel exiguum eorum rationem habuissent, quae tractanda essent ei, qui olim oratoris provinciam recte vellet administrare

14) Ipse monuit l. 3. c. 1. §. 20. modestissimum sibi visum fuisse post CICERONEM tacere, nisi hic sciens minora illa (prima rhetorices elementa) in libris oratoriis omisisset. Tironum causa ea simplicius et brevius tradenda esse putavit, vd. l. 8. in.

sed ad subtiliorem technologiae partem pertinent.

16) Quaeritur tamen, utrum hoc ipsi QUINTILIANO, an infelici potius seniorum Rhetorum diligentiae, qui notas quasdam et praecepta margini adscriberent, postea in textum illata (quod bene coniecit CENSOR novissimae QUINTILIANI institutionum editionis a SPALDINGIO curatae in diario: *Algem. deutsche Bibliothek*, 51. Band, 2tes Stück, 8tes Heft, 1800.) vitio sit vertendum.

15) Errores subinde a nostro commissi (vd. GESSNERUS in praefat. editioni QUINTILIANI praemissa) non ad gravissima rhetorices capita,

nistrare, noluit **FABIUS** haec minora, quae viam quasi muniant ad bene dicendi rationem sibi comparandam, negligere (vd. prooem. l. 1.) sed anteaquam ipsam rhetorices institutionem adgressus est, per librum I. et partem secundi praemisit aliqua, quae ad puerum ita formandum, instituendum, educandum, ut olim bonus evadet orator, pertinerent. Neque poterat non et rerum illarum per-tissimus esse, qui ipse Romae scholae publicae praefectus satis diu pueris instituendis operam navasset; et perversa, quae illa aetate obtinuerat, et a scriptore nostro saepius notatur, de studiis et exer-citationibus oratori necessariis statuendi ratione, ut eam partem paullo uberioris persequeretur, adduci. At non modo de oratore fu-turo recte formando, sed de iis quoque, quae inbutum artis prae-ceptis, et omne disciplinae rhetoricae curriculum emensum facere oporteat, ut iis quae didicerit, causas ipsas tractaturus, recte utatur, de lectione, imitatione, moribus oratoris, et aliis, quae hoc per-tinent, l. 10. 11. 12. multa utiliter praecepit. Denique diversas praecipuorum, qui ante ipsum scripserant, Rhetorum sententias plerumque diligentius collectas examinavit (l. 3. c. 1. ex.).

His praemissis, nihil nos impedit, quo minus ad rem ipsam (**CICERONIS** de eloquentiae fine sententias cognoscendas et cum **ARISTOTELIS** et **QUINTILIANI** decretis comparandas atque ex-a-minandas) accedamus.

C a p u t P r i m u m.

Ostenditur, persuasionem a CICERONE *primarium* finem eloquentiae constitui. Comparatur haec sententia cum iis, quae ARISTOTELES et QUINCTILIANUS hac de re praeceperint. Quaeritur, utrum et quanam ratione ad eloquentiam nostrae aetatis possit transferri.

§. I.

Eloquentiam esse facultatem ad persuadendum accommodate dicendi, omnemque artem oratoriam ad illam persuasionem oratione efficiendam, veluti summum ultimumque finem spectare, scriptor noster nunc diserte significavit, nunc tanquam cognitum et ab omnibus concessum posuit, ita ut singula artis rhetor. praecepta ad hunc finem referret. Nam primum l. 1. de invent. c. 5. §. 6. officium facultatis oratoriae esse dicit, *ad persuadendum apposite dicere, finem persuadere dictione.* Quam sententiam seniori aetate minime ipsi inprobata fuisse intelligimus ex dialogis de oratore. Etenim CRASSUS l. 1. c. 31. §. 138. inter illa vulgaria et contrita dicendi praecepta, (quorum nec veritatem nec utilitatem inpugnat, tantam tamen negat vim esse et efficaciam, ut cognitio eorum ad oratorem formandum sufficere possit, vd. c. 32.) primum omnium hoc refert, *oratoris officium esse, dicere ad persuadendum accommodare.* Consentit ANTONIUS c. 61. §. 260. Jam vero paullo diligentius de eo quaeramus, quidnam sub illa persuadendi facultate intelligatur, et quam late usus vocabuli pateat. Qua de re eo rectius iudicare poterimus, quo facilius ex pluribus locis scriptoris nostri sensus et

ambitus huius formulae intelligitur. Nam quod l. 2. c. 27. §. 115. voce: *persuadere*, id l. 2. c. 28. §. 121. et c. 77. in. formulis: *fidem facere*, et: *ad sententiam suam aliquem perducere exprimitur*. Conferri potest locus l. 1. de orat. c. 10. §. 44. Jam quum partim eos, qui ad sententiam nostram perducendi sint, vel tantummodo ad credendum aliquid, vel etiam ad agendum simus adducturi (quod posterius consilium ab iis orationum generibus, de quibus scriptorem nostrum in his dialogis diligentius, quam de demonstrativo, praecepsisse vidimus, iudiciali, inquam, et deliberativo nunquam abesse potuit) partim non una ratione utrumque finem consequi liceat, (dum vel argumentis utimur, quae sententiam nostram aut veram esse ostendant, et indubitatem, aut probabilem reddant, vel quibusdam animi sensibus et affectibus excitandis efficiamus, ut auditores ad eandem probandam proni promptique reddantur); non potuit non latius patere vocabuli: *persuadere* significatio, ita ut illis certe locis¹⁷⁾, quibus ad finem facultatis oratoriae constituendum adhibetur, omnino omnes rationes, quibus aliquis dicendo ad sententiam nostram possit perduci, et ad agendum aliquid commoveri, complecteretur. Id quod clarius inde apparet, quod ANTONIUS

l. 2.

17) Negari enim non potest, eandem vocem aliquoties sensu angustiori adhiberi; Sic l. 2. de or. c. 80. §. 326 de eo dicitur, qui modo narrandi efficit, ut auditores narrationi fidem habeant (quod ad docendi officium pertinet). coll. §. 328 Alio loco l. 2. c. 77. n. 311. idem est, quod *conciliare* (iungitur enim reliquis duobus oratoris officiis, argumentandi, i. q. docendi, et commovendi). Saepius rō *conciliare* et *commovere* complectitur. Cfr. orator c. 54. §. 181. (ubi a narrare et docere

distinguitur). l. 2. de orat. c. 76. §. 308. nisi quis de hoc posteriori loco statuere malit, ANTONIUM non satis definite fuisse loquuntum, ita ut primum partem eorum, quibus omnis persuasio efficiatur (probare, docere) tum rem ipsam (*persuadere*) commemoraret. (Videtur tamen prior explicatio ideo esse preferenda, quod ANTONIUS in seqq. de singulis his rebus (ratione docendi, conciliandi, movendi) recte coniungendis separatis exponit.

L. 2. quum loquendi munus ad ipsum fuisse translatum, saepius tria
 commemorat, quibus recte coniungendis alicui oratione possit per-
 suaderi: docere, conciliare sibi animos auditorum, eosdemque
 permovere. c. 27. §. 115. c. 28. §. 121. c. 29. §. 128. inpr. §. 129.
 c. 77. in. Simul vero hoc intelligitur, vocabula nostrae linguae:
überzeugen, et *überreden*, ita esse comparata, ut neutrum illam
 notionem latini: persuadere (cui graecum *πειθεῖν* plane respondet)
 exhauriat; quum prius de eo dicatur, qui argumentorum firmitate
 et gravitate homines, ut sententiam propositam veram esse putent,
 adducit; posteriori studia artesque eorum designari soleant, qui non
 tam argumentorum pondere nituntur, quam singulari ratione ea,
 quae ad rem probandam adferantur (sive certa sint, sive probabilia
 tantum) explanandi, sensibus subiiciendi, collocandi tractandique,
 animos capiendo, adfectus excitando auditores ad rem probandam
 et voluntati oratoris satisfaciendum reddunt promptissimos. Cfr.
 SULZERUS in libro: *allgemeine Theorie der schönen Künste*, T. IV.
 sub vocc. *Überredung* et *Überzeugung*. Rectius haec omnia expri-
 mere videtur formula: *einen andern für unsre Meynung gewinnen*.
 Haec igitur persuasio oratione efficienda, cuius notionem modo ac-
 curatius definire studuimus, ex sententia scriptoris nostri sumnum
 constituit et primarium facultatis oratoriae finem. Hinc omnia,
 quae de singulis oratoris officiis dicuntur, ad eundem referri vide-
 mus. Ostendimus enim locis supra laudatis ANTONIUM oratori
 tria potissimum munera demandasse, quibus recte administrandis
 auditoribus sententia probanda posset persuaderi, munus, inquam,
 docendi, conciliandi, animosque movendi. Idem ANTONIUS l. 2.
 c. 27. ex. 28. in. oratoris officium ita partitur, ut partim quid,
 partim quomodo dicat, videndum esse moneat, quorum alterum
 (videre, quid dicas) ab ANTONIO l. 2. pertractatum rerum dicen-
 darum inventionem, delectum, tractationem, collocationem com-
 plectitur, alterum (videre, quomodo dicas) de quo CRASSUS l. 3.

expo-

exponit, ad elocutionem, pronunciationem, actionem pertinet. Utraque ratio ita est cum altera concilianda, ut posteriorem ea complecti statuamus, quae quasi viam munit ad ea recte peragenda, quae prior ratio officiis docendi, conciliandi, movendi, comprehensa ad unum eundemque summum finem (persuadendi) retulerit. Etenim ipsa rei natura declarat, neque recte doceri posse auditorem, neque conciliari aut permoveri, nisi orator et rerum sententiarumque inventionis, delectus, collocationis bene instituendae, et elocutionis, actionis, pronunciationis huic consilio accommodandae rationem habeat. Quam sententiam quo minus a scriptoris nostri decretis abhorre putemus, prohibent permulta huius rei satis clara vestigia. Nam ut taceam, ipsum sensisse, quam arctis vinculis sit disputatio de eo, quid dici debeat, cum ea, qua de modo dicendi quaeritur, coniuneta (vid. nota n. 11.) maxime ad rem nostram facere arbitror loca l. 2. c. 27. §. 115. c. 29. §. 128. Et priori quidem loco ANTONIUS, ante aquam duo illa in omni causa quaerenda (quid et quomodo dicamus) constituit, in universum omnem dicendi rationem (viam, quam ingredi debeat orator, ut officiis suis satisfaciat) tribus ad persuadendum rebus (docendo, conciliando, movendo) *nixam esse dicit*¹⁸⁾. Eandem sententiam c. 29.

haud

18) Discedimus h. l. a sententia WETZELII, qui in adnotationibus ad librr. de orat. vernacule conscriptis p. 81. formulam: omnis ratio dicendi, interpretatus est: *der ganze Plan, Gang einer Rede, die plannässige Rede*, et locum nostrum cum alio l. r. c. 31. §. 143. comparavit, qui ad rem longe aliam pertinet. Loquitur ibi CRASSUS de vulgaribus quibusdam et communibus dicendi praecipitis, in quibus quum ea commemo- rasset, quae de generibus causarum,

locis communibus, quinque officiis oratoris praecipi solerent, addit H. §. 143. se ea quoque cognovisse, quae ad singulas orationis partes constituendas pertinerent. Commemorat a) exordium, verbis: *initio conciliandos* etc. (maxime enim exordio conciliandi sunt auditores c. 78.) b) narrationem, vbb. *deinde rem demonstrandam* etc. quod voc. demonstrate WETZELIUS perperam pro: *docere accipi voluit*, ita ut omnia, quae seq. postea controveriantur etc. eo tanquam genere

haud obscurius ita enunciat, ut eadem tria, quae c. 27. 28. ad persuadendum requiri monuerat, rationes esse dicat totius suae orationis, et ipsis ipsius in dicendo facutatis, quam modo CRASSUS tan-

tope-

contineantur. Distinguuntur potius cetera ab illa demonstratione vocalis: postea, tum, etc. quibus in diversis rei partibus ordine enumerandis uti solemus. Rem demonstrare h. l. idem est, quod narrare, ut l. 2. c. 81. n. 330. c) constitutionem controversiae f. propositionem, d) confirmationem et refutationem, e) perorationem. Harum orationis partium ordine et dispositione efficitur orationis oeconomia (*Plan, Gang der Rede*); non illis, quae et nostro loco (l. 2. c. 27.) et iis, quae WETZELIUS laudat, BRUTI c. 80. c 49. commemorantur, muneribus docendi, conciliandi, animosque movendi recte administrandis. Haec enim non ita sunt comparata, ut certus ordo constitui possit, quem sequuti singulis eorum fungamur; sed ipse ANTONIUS infra c. 77. oratorem hac in re ita iubet versari, ut nihil nisi docere velle videatur, ea vero, quae conciliandi animosque permovendi causa dicantur, sint per omnem orationem, ut sanguis in corporibus fusca; quanquam omnino concedit, facillime exordio et peroratione conciliari animos et concitari. Propterea in iisdem enumerandis non certum sequitur ordinem, sed docendi officium nunc (c. 27. coll. 77.) primo, nunc (c. 28. 29.) altero loco commemorat. Distinguit etiam c. 76. in. aptam componendi ea, quae ad tres illas oratoris provincias attinent, et adornan-

di rationem, quae maxime oratoris prudentiae debeatur, ab illa rerum dispositione, quae ad singulas orationis partes pertineat, in ipsa causarum natura posita. Quae cum ita sint, formula omnis ratio dicendi non de illa orationis oeconomia, sed de methodo intelligenda videtur, quae praesidia complectitur, quibus orator finem quandam oratione consequitur utatur, iisque utendi modum, quae sequitur praecepta. Docuerat enim ANTONIUS ipsius exemplo, ita esse hac in re versandum, ut cognito controversiae genere, atque eo, quo praecipue referri debeat oratio, constituto, de animis conciliandi movendisque cogitet. Nititur haec methodus tribus illis rebus, quae ad persuadendum faciant, adhibendis, ab iis pendet, iis constitutis et conformatur. Significatio formulae per se ambigua est, ubique orationis serie observanda accuratius definienda. Nunc praecpta artis, institutionem ipsam et exercitationem significat (de orat. l. 1. c. 3. §. 12. c. 4. §. 14. c. 25. in. ubi cum via iungitur. Vd. QUINCTIL. instit. orr. l. 2. c. 12. ex. Simil. orandi ratio QUINCTIL. l. 3. c. 3. in.) nunc methodum ab oratore adhibendam (ut nostro loco, cfr. l. 1. c. 23. §. 109.) quam exercitatione et institutione vel suppeditari vel emendari neminem fugit.

topere laudaverit ¹⁹). At non tantum comparatio locorum, quibus scriptor, quid hac de re statueret, per ANTONII orationem significavit, ostendit, utrumque oratoris munus (quid, et quomodo dicamus, videndi) a CICERONE ad finem illum oratione, quae doceat, conciliet, moveat, auditoribus persuadendi referri, sed ipsa etiam artis praecepta, si diligentius examinaveris, facile patebit, quam accurate huic fini respondeant. Sed quum ea, in qua nunc versamur, disputationis nostrae parte, non de singulis praeceptis exposituri simus, haec leviter tangere quam uberiorius persequi praeferbit. Et primum quidem ANTONIUS de eo, quid dici debeat, disputaturus, inde a c. 29 — 54, de locis (fontibus) unde oratio hominibus docendis, conciliandis, movendis apta ducatur, differit. Quibus pertractatis oritur disputatio de praesidiis quibusdam, quibus orator nunc ad adversarium paucis refutandum (quod ad docendi officium pertinet, v. c. 53. ex.) nunc ad auditores sibi conciliandos, nunc ad affectus oratoris consilio contrarios (tristitiam et severitatem) frangendos bene utatur, de facitiis, dico, earumque natura et usu (vd. inpr. c. 58. §. 236.). Sequitur inde a c. 72. locus de rebus apte eligendis, collocandis, coniungendis, id quod, ipso ANTONIO teste c. 42. §. 180. haud parum ad persuadendum confert ²⁰). Cum iis proxime coniuncta sunt, quae c. 78 — 82. de

D 2 singu-

19) Vocabulum *ratio* hic fere eodem sensu, quem loco modo tractato obtinere vidimus, adhibetur, ita ut modi dicendi facultatem, adhibendi orationemque conformandi, qui partim ad homines edocendos, partim ad conciliandos, partim ad movendos pertineant, intelligantur (*drey verschiedene Tendenzen der Rede*). Simil. *ratio* occurrit c. 44. in. Ceterum omnia, quae vel ad rerum inventionem, delectum, tractationem, vel ad elocutionem omnemque mo-

dum dicendi spectent, comprehendividetur verbis: *meae totius orationis et istius — extulit.* Pertinent ad ea, quae proxime antecedunt, ubi CRASSUS ANTONIUM exhortandi causa, ut non tantum de eo, quid dicendum sit, sed etiam de modo (elocutionis ornatu) disputet, incredibilem ANTONII facultatem varie, ornate, copiose dicendi summis laudibus exornat.

20) Vocabulum *vincere* quod proprie de iis dicitur, qui in pugna ad-
ver-

Singulis orationis partibus praecipiuntur. (Exordia oratorem ita conformare iubet, ut aditum ad rem ipsam parent, allicitant auditores, benevolos erga oratorem pariter ac eum, cuius causam agit, attentos et dociles reddant, et animi motus postea excitandos praeparent. c. 79. coll. de invent. l. 1. c. 15 — 18. Narrationem vult ea gaudere perspicuitate et verborum copia, quae faciat, ut et apertior sit ad intelligendum, et ad persuadendum accommodata, s. probabilius reddat, quod gestum esse dicas, vd. c. 80. 81. coll. de invent. 1. 19 — 22. Tum confirmatio et refutatio ad unam eandemque rationem refertur, quum utrumque valeat ad argumentationem probandam. c. 81. coll. de invent. l. 1. c. 24. in. Denique peroratione vel inflammundus iudex, vel mitigandus. c. 81.) Neque alium a scriptore nostro constitui orationum judicialium, alium generis deliberativi finem, ostendit comparatio locorum l. 2. c. 29. §. 129. et c. 81. ex. 2^o). Nam quemadmodum ANTONIUS loco priori monuit, debere eum, qui nobis causam sit adiudicaturus (iudicem) vel inclinatione voluntatis in nos propendere, (conciiliari) vel defensionis argumentis adduci (edocendo persuaderi) vel cogi animi per motione; ita c. 81. ex. ubi de genere deliberativo praecipere incipit, diligentem illius tractationem propterea commendat, quod sapientis sit viri, proponere ipsius consilium de gravissimis rebus, honesti ac diserti — oratione persuadere. Quae huius rei causa fieri debeant, c. 82. 83. breviter pertractantur. Ex his omnibus simul apparent, CICERONEM nostrum, et si in his dialogis

non

versarium superant, aut in iudiciis causam obtinent, tum omnino ad omnes transfertur, qui sententiam suam quounque modo ita defendant, ut alter cedere cogatur (ut sententia vicisse dicitur LIVIO l. 37. c. 19. et PHAEDRIA uno verbo vicius TR-

RENTIO in Eunuchō A. 2. Sc. 2. v. 98.) h. 1. idem est, quod persuadere. Cfr. c. 43. in.

21) Num eadem ratione de fine generis demonstrativi senserit, alio loco videbimus.

non fuerit severiorem rerum tradendarum ordinem sequutus, appendiis disciplinarum artiumque accommodatum, tamen primarium illum eloquentiae finem, tanquam principium posuisse, e quo singula praecepta possent derivari. Nam quae l. 3. de modo, quo dici beat, a CRASSO disputantur, ea quanquam proxime ad alium finem oratori propositum, voluptati auditorum inserviendi, eosque ad admirationem ducendi, referri videntur, tamen haec non ita sunt comparata, ut CICERONEM sibi non constitisse putemus, qui primarium eloquentiae finem in persuasione posuerit. Quis enim est, qui nesciat, partim ea, quae ab oratore docendi, animos conciliandi, movendique causa dicantur, plerumque delectare, et admirationem excitare, partim, quae proxime ad ornatum et suavitatem pertinere videantur, ea simul cum ad res magis illustrandas, tum praecipue ad mentes conciliandas aut vehementius commovendas haud parum conferre? ideoque utrumque finem cum altero arctissime esse coniunctum? utrumque altero adiuvari? 22) Neque in libello: *orator* inscripto de primario facultatis oratoriae fine alter statuitur, quanquam suavitas illa et admiratio faepius commemoratur. Nam c. 19. §. 65. de discrimine, quod Sophistas inter et oratores intercedat, ita loquitur: *hoc differunt, quod cum suis propositum, non perturbare animos, sed placare potius: nec tam persuadere, quam delectare: et apertius id faciunt, quam nos, et cerebrius: concinnas magis sententias exquirunt, quam probabiles etc.* Tum eadem tria oratoris officia (quibus ab oratore auditoribus persuasio satisfieri debere alibi monuit) commemorantur orat. c. 21. in, 23) Denique, quae subinde de singulis artis rhetor. praeceptis di-

22) Sufficit h. l. breviter tetigisse, pertinet, examinanda est) copiosius quae capite secundo commentationis sumus illustraturi.
nostrae (quo CICERONIS sententia 23) De causa cur noster h. l. con-de altero illo eloquentiae fine, qui ciliandi officio omisso rō delectare ad delectationem et admirationem commemoraverit, alio loco dicemus.

dicuntur, ita se habent, ut non aliter ac ea, quae in dialogis de orat. his de rebus praecipi vidimus, vel ad auditores edocendos, vel ad conciliandos moveandosque pertineant. Ceterum cum locis hucusque laudatis comparari possunt BRUTI c. 49 – 55. ubi noster de oratoris studio, vulgi adsensum ita movendi, ut doceat, delectet, animumque flectat, multum diuque disputat, (coll. c. 80.) et partit. oratt. c. 2. in. Quo posteriori loco CICERO filio interroganti, quid orator rerum inveniendarum causa facere debeat, respondet, *quaerendum esse, ut inveniat, quemadmodum fidem faciat iis, quibus volet persuadere, et quemadmodum motum eorum animis adferat* ²⁴⁾. Neque haec inventionis tantum causa moneri, sed ad ea quoque transferri videmus, quae de collocatione (c. 3. §. 9. omnem collocationem ad finem accommodo quaestionis. Nam est in proposito ²⁵⁾ finis, fides: in causa et fides, et motus) de quatuor orationis

²⁴⁾ Formula: *fidem facere* h. l. significazione angustiori adhibetur, ita ut non omnem persuadendi rationem, sed tantum docendi officium complectatur. Cfr. c. 8. §. 27. (ubi narratio et confirmatio fidem facere orationi dicitur, exordium et peroratione praecipue ad motum animi valere) BRUTUS c. 53. §. 198. (*baec et multa eiusmudi dicens, fidem faciebat, quod est ex tribus oratoris officiis alterum.*) Alio loco universam notionem persuasionis involvit, c. 15. §. 53. coll. l. 2. de orat. c. 28. in. Contra verba: *motum animis eorum adferre*, ita sunt intelligenda, ut motus animi latiori sensu et de lenioribus ac placidis sensibus, quibus animus adficitur, et de graviori mentis commotione sumatur. Ipse enim c. 3. §. 9. notionem formulae: *motus animi, explicaturus, esse dicit*

animi incitationem aut ad voluptatem, aut ad molestiam, aut ad metum, aut ad cupiditatem. C. 6. §. 22. maxime movere dicitur oratio, quae motum aliquem animi misceat, et oratoris ipsius amabiles mores signifiet. Comprehendit igitur *animi motus auditoribus adferendas omnia*, quae ad animos delectandos, conciliandos, movendos pertinent, unde eo, quem modo laudavimus, loco cum τῷ delectare proxime coniungitur.

²⁵⁾ Propositum est genus quaestionum infinitum (c. 18 §. 61.) neque personis certis, nec temporibus notatum, quod in causis (quaestionibus sinitis) ita retractatur, ut oratio saepe a singulari controversia ad universi, quo illa continetur, generis quaestionem adducatur.

tionis partibus (c. 8. seqq.) de elocutione (c. 6.) praecipiantur. Sic vidimus, eloquentiam esse scriptori nostro facultatem ad persuadendum accommodate dicendi, illiusque summum ac primarium, finem persuasionem. Restat, ut hanc sententiam diligentius examinemus, et quid ARISTOTELES, QUINCTILIANUS, et primarii quidam recentiorum scriptorum hac de re iudicaverint, cognoscamus.

§. 2.

Et Aristotelem quidem, ut in permultis aliis artis rhetor. capitibus, ita etiam hac in re scriptori nostro ducem viae et magistrum exsuffisse intelligimus. Reperitur enim l. 1. c. 2. in. haec rhetorices definitio: ἐπώ δὴ ἐγτορική²⁶⁾ δύναμις περὶ ἔκπονον τῆς θεω-

26) *Vocabula rhetorica et ars rhetorica* quum in locis ARISTOTELIS et QUINCTILIANI mox a nobis laudandis saepius occurrant, necesse est, de significatione eorum pauca quedam addamus. Graecum ῥητορική primum ipsam dicendi facultatem apud nostrum indicare partim ex loco laud. (l. 1. c. 2. in.) partim ex cap. Imo intelligimus, ubi (non longe a fine capituli) δύναμις λογῶν appellatur. Tum nonnunquam usum potius, quam facultatem ipsam significat. Cfr. l. 1. c. 3. in. ubi tria orationum genera (iudiciale, deliberativum, demonstrativum) τρία εἴδη τῆς ῥητορικῆς appellantur. Simil. l. 2. c. 1. dicitur ῥητορική ἑνεκα πρόσων εἴναι. Denique non aliter, ac τέχνη ῥητορικῆ de institutione ipsa et praecepsis adhibetur, quibus facultas perficitur. Nam quemadmodum l. 1. c. 4.

non longe ab initio causam, cur de singulis generibus rerum, de quibus oratt. deliberatt. agere soleant, copiosius differere nolit, allaturus dicit haec non pertinere ad τέχνην ῥητορικήν, ita ex. cap. quum monuissest, necessariam esse oratori cognitionem rerum earum, quae ad salutem civitatis conservandam, defendendam, promovendam pertineant, addit ἀπαντά τε δὲ ταῦτα πολιτικής, αλλ' οὐ ῥητορικῆς ἔργον εἰσι. Contra apud Latinos scriptores hoc obtinuisse videtur discriminis inter Rhetoricon et artem rhetoricanum, ut hoc institutionem et artis pracepta, illud ipsum habitum eloquentium et facultatem, maxime eam, quae arte nititur, significaret. Audiamus hac de re QUINCTILIANUM in instit. oratt. l. 2. c. 14. in. (quo eos, qui graecum ῥητορική vocabulis novatis: oratoria, vel oratrix,

Θεωρήσαι τό ενδεχόμενον πιθανόν. Sit igitur rhetorice facultas in quacunque re perspicieendi ea, quae inveniri possint ad persuadendum accommodata. Cuius definitionis vim ut recte intelligamus, monen-

trix, exprimendum potest propterea reprehendit, quod vis vocabuli: *rhetorica* his non omnino exauriri videatur) ita praeципientem: illa autem de qua loquimur *rhetorica* talis est, *qualis eloquentia*. Nec dubie apud Graecos quoque duplēcēm intellectum habet. Namque uno modo sit appositorum ars *rhetorica*, ut *nāvis Piratica*; altero nomen rei, *qualis est Philosophia, amicitia*. Nos ipsam nunc volumus significare substantiam, ut grammaticae litteratura est, non litteratrix, neque litteratoria, quemadmodum oratoria. Comparat vocabulum *rhetorica* cum voc. *eloquentia*, quocum ea de causa recte potest comparari, quoniam, sicuti eloquentia nunc dicendi facultatem quae usum antecedit, nunc usum illius significat, ita rhetorice nunc appositum est, atque institutionem (viam, quae ad dicendi facultatem ducit,) indicat, nunc nomen rei (substantiae), quod ad facultatem s. habitum (ut ita dicam) eorum, qui didicerint haec praecepta, iisque recte sciant uti, transferatur. Huic sententiae apprime convenit usus loquendi, quem apud CICERONEM et QUINCTIL. obtinere videmus. Cfr. v. c. de voc. *ars rhetorica* CICERO de invent. l. 1. c. 5. §. 7. de orat. l. 3. c. 20. §. 75. QUINCTIL. prooem. l. 1. §. 7. l. 2. c. 11. in. add. inpr. loca QUINTILIANI, quibus consilium suum, non modo nude ar-

tis praecepta, ad inventionem, dispositionem, et alia oratoris officia pertinentia, quae vulgo sola sub nomine *artis et artis rhetor.* comprehendi soleant tradendi, sed omnia admiscendi, quae ad oratorem instituendum, formandumque faciant, declarat. V. L. 1. prooem. ex. l. 2. c. 4. c. 11. in. (similiter vocabula: *ars*, *ars dicendi* s. *orandi*, *ars oratoria*, de praeceptis et institutione, v. c. de orat. l. 2. c. 87. §. 356. QUINCTIL. prooem. l. 1. §. 4. 5. et all. ll. adhibentur; quanquam interdum facultatem potius arte comparatam significant de orat. l. 1. c. 15. §. 66. QUINCTIL. l. 2. c. 13. §. 15. c. 15. §. 20. Vd. de priori signif. Cel. ERNESTI in lexico technol. Latin. rhetor. (sub v. *ars*.) Ad ea, quae de usu simplicis vocabuli *rethorica* monuimus, confirmanda cfr. CICERO de invent. l. 1. c. 5. in. (ubi rhetoramicam eloquentiam artificiosam esse dicit, eandemque mox facultatem oratoriam appellat. Laudavit hunc locum QUINCTIL. l. 2. c. 17. §. 2) c. 6. §. 8. (HERMAGORAE propterea putat Rheticam citius adimendam, quam Philosophiam concedendam esse, quod non potuerit ex arte dicere.) Multo frequentius, neque uno eodemque modo QUINTILIANUS hoc voc. usus est. Nam primum l. 2. c. 15. §. 34. substantiae rhetorices maxime convenire dicit finitionem, esse eam be-

monendum est, partim τὸ πιθανὸν (ut ex iis, quae deinceps de singularibus generibus τῶν πιθεῶν dicuntur, apparet) omnino omnia complecti, quae vel docendo, vel conciliando, vel movendo fidem facere possint, partim non sine causa et ratione rhetorice ita fuisse definitam, ut tantum θεωρεῖν, perspicere, (i. q. ἴδειν, quod vocabulum in eadem re adhibetur l. 1. c. 1. ὅτι τῆς αὐτῆς scil. ἐπορικῆς τὸ τε πιθανὸν καὶ τὸ φανομένον ἴδειν πιθανὸν) τὰ πιθανὰ diceretur, non τει-

Dear.

ne dicendi scientiam, quippe quae omnes virtutes oratoris, (ne moribus quidem exceptis) complectatur. (Sponte patet, scientiam h. l. ea significative adhiberi, qua iis tribuitur, qui non modo notitiam rei accuratam sibi paraverint, sed etiam certo modo ac ratione, praecepta quaedam sequuti, aliquid peragere possint, vd. de natura Deorum 2, 62.) Eod. cap. in. §. 1. 2. formulae: *rhetorice*, et *dicendi facultas* permuntantur. Neque artificiosam tantum eloquentiam, sed haud raro omnem omnino dicendi facultatem, sive ex arte, sive a natura proficiscatur, hac voce complectitur. Quod si tenebimus, non mirabimur, quod l. 2. c. 17. quaestionem moveat: an *rhetorice ars* sit? §. 3. *rhetorice* neget in tam sublime fastigium potuisse sine arte pervenire, et §. 5. addat, ex nonnullorum sententia *rhetorice esse naturalēm*. Add. l. 2. c. 20. §. 6. ubi sententia Philosophorum quorundam commemoratur, qui rhetorice propter ea in virtutibus habendam putaverint, quod virtutes recte dicantur, ad quas nobis, antequam doceremur, initia quaedam et semina fue-

rint natura concessa. Hinc permultis locis non differt a vocab. *eloquentia*, quocum permutatum vides l. 2. c. 16. in. Denique pariter, ac eloquentia, ad ipsum usum dicendi facultatis transfertur *Quinctil.* l. 2. c. 17. §. 19. ego *rhetorice* nonnunquam dicere falsa pro veris confitebor §. 26. ut etiam vitiis *rhetorice* criminantur — ipsam destruere, quod efficerit etc. Utrumque (facultatem usumque) complecti videtur l. 2. c. 14. ex. *rhetorice* optime dividetur, ut de arte (ipsis dicendi praeceptis) de artifice, (oratore moribus eius, et omnibus, quae scire eum oporteat, quaeque sint ratione causarum suscipiendarum, et agendarum observanda) de opere (oratione ipsa, genere dicendi scientia) dicamus. Res ipsa (bene dicendi scientia) dividi dicitur, quoniam disputatio, quae de ea instituitur, per partes est tractanda, (ut senatores sententiam dividi volebant, si res duas contineret, de quibus rectius separatim quaeri videretur.) Quae Vossius de rhetor. nat. et confit. p. 17. de voc. *rhetorice* disputat, neque fatis accurate, nec omnino vere disputata videbantur.

Gem. Nam ipse scriptor noster c. i. non longe a fine diserte mōnet, officium (*ἔργον*) rhetorices non esse persuadere, sed videre in quaque re, quae insint ad persuadendum accommodata, idque illustrat exemplo artis medicae, cuius non sit, valetudinem integrum reddere, sed eo usque, quo licet, in sanando aegroto progredi. Neque hac in re errasse videtur. Quum enim in ipsa auditorum īdole, consilio, opinionibus variae possint causae reperiri, cur vel optimus et prudentissimus orator non semper persuadeat, ideoque, si quis hanc immutabilem scribat oratori legem, ut ab illo fine nunquam aberret, orator, qui omnibus, quae ad oratorem pertinent, virtutibus instructus, et in iis, quae hominum docendorum, conciliandorum, movendorum causa fieri debeant, observandis diligentissimus, tamen rebus causisque iis, quas minime pro lubitū vel efficere, vel tollere liceret, subinde prohibitus fuerit, quo minus persuadendi finem consequeretur, oratoris nomine immerito debeat privari (ut *QUINTILIANUS* institt. orr. I. 2. c. 15. §. 11. 12. bene vidit) caute ac prudenter Philosophus subtilis ambitum facultatis oratoriae ita limitibus quibusdam circumscripsit, ut nonnisi ea ab oratore exigeret, quae iure meritoque exigi possent.

Sed, dum facultatis oratoriae officium in eo ponit, quod inveniat ea, quae in quaque re inveniri possint ad persuadendum accommodata, non negat, finem esse, dicendo persuadere; id quod cum e singulis quibusdam locis (v. c. I. 1. c. I. §. 12. ubi de utilitate rhetorices disputat: ἔτι δὲ πρὸς ἐνίσ — φάδιον ἀπ' ἐκείνης πεῖσαι — paulo inferius: ἔτι δὲ ταραντία δεῖ δύνασθαι πεῖθειν. I. 2. c. 18. in ἐν γὰρ δεῖ πεῖσαι, οὐτος ἐσίν, ὡς ἀπλῶς εἰπεῖν κριῆς) tum ex omni īdole praceptorum, quae fere omnia (ut mox videbimus) ad τὸ πιθανὸν referuntur, intelligitur. Satisfacere tamen putat oratorem officio ipsius, si, dum perspicit omnia, quae fidem facere possint, tum prope studeat ad finem propositum accedere, quam per audi-

auditorum cogitandi sentiendique rationem, aut alias causas accedere liceat; sapientis medici instar, qui, nisi integrum possit valitudinem reddere, studeat tamen morbum doloresque levare, et vires, quantum ipsi liceat, firmare. Neque his adversantur, quae apud CICERONEM de officio oratoris et facultatis orat. dicuntur. Vidimus enim locis supra laudatis, finem quidem in persuasione, officium vero in eo poni, quod apposite, accommodate ad persuadendum dicat (i. e. ea dicat, quae ad persuadendum possint conferre, modumque huic consilio convenientem adhibeat). Attamen, si dicendi facultas ex mente scriptoris in eo cernitur, quod persuasuri auditoribus tantum efficiamus, quantum efficere liceat, cur tantum τὸ θεωρεῖν περὶ ἔκπειτον τὸ παθαρόν, nec potius usum omnium eorum, quae ad persuadendum possint conferre, commemorat, quasi oratorem recte appellemus, qui τὸ παθαρόν videre, neque tamen eo uti possit, et elocutionem, pronunciationem, actionem fini accommodatam adhibere? In eo iampridem haesisse intelligimus acutissimum eorum, qui ante ipsum de arte dicendi scripserant, iudicem, QUINTILIANUM, qui l. 2. c. 15. §. 13. ARISTOTELIS definitionem allatam eo nomine reprehendit, quod inventionem tantum complectatur, quae sine elocutione non sit oratio²⁷⁾. Cavendum tamen, ne putemus, scriptorem nostrum ita perverse de dicendi facultate statuisse, ut nonnisi inventionem eorum, quae fidem facere possint, complecti eam putaret; cui sententiae omnis horum librorum ratio adversatur. Quanquam enim de iis, quae ad inventionem pertinent, multo copiosius, quam de ceteris oratoris officiis, disputavit, omninoque (ut in prolegomm.

E 2

§. 4.

27) In iis, quae mox eod. cap. se- persuasibile (§. 16.) pro dicendi esse quuntur: omnia subiecisse oratori vi- videndi scribendum, Cel. SPALDIN- detur ARISTOTELES, cum dixit, vim GIUS ad h. l. bene vidit. esse dicendi, quid in quaque re esse possit

§. 4. vidimus) et elocutionis ornatae studium, et alia omnia, quae praeter probationem fieri soleant, per se improbanda esse putavit, et proflus omittenda, nisi perversa auditorum indoles contrarium suaderet; tamen l. 3. in. satis aperte declarat, tria esse in dicendi arte pertractanda (inventionem πίσεων, elocutionem, collocationem) et in ea, quae hoc libro continetur, artis Rhetoricae parte, haud raro de elocutione et collocatione diserte ea praecipit, quae ad homines docendos, conciliandos, movendos (ad τὸ πιθανὸν) spectent; unde patet, bene monitum fuisse a Vossio (de rhetor. nat. et constit. p. 48. 49. edit. quae prodiit Hagae Comitis, 1658. 4.) non intelligi apud nostrum solam argumentorum, sed omnium eorum excitationem, quae vel argumentatione, vel dispositione, vel elocutione, vel actione plurimum ad persuasionem conferant. (Cfr. v. c. l. 3. c. I. §. 2. ὃ γὰρ ἀπόχει τὸ ἔχειν, οὐ δὲ λέγειν, αλλ᾽ ἀνάγκη καὶ ταῦτα — ποῖοι τίνει τὸν λόγον, c. 2. §. 4. δὲ λανθάνειν ποιεῖντας — τέτο γὰρ πιθανὸν etc. c. 3. §. 4. ἀπαντά τοι γὰρ ταῦτα απιθανατικά etc. c. 7. in. τὸ δὲ πρέπον ἔχει οὐ λέγεις, εἰπεὶ οὐ παθητική τοι καὶ ηθικὴ etc. §. 4. πιθανοῦ δὲ τὸ πξαγμα etc. c. 8. in. τὸ δὲ σχῆμα τῆς λέξεως — τὸ μὲν γὰρ απιθανον etc. c. 16. §. 8. ηθικὴ δὲ etc. §. 10. ἔτι εἰ τῶν παθητικῶν — πιθανὰ γὰρ διότι σύμβολα etc.) Sed cur tandem ita definiuit ambitum facultatis oratoriae, ut solum inventionis officium oratori demandare videretur, nisi ex omni eius opere contrarium intelligeretur? Duplex, ni fallor, potest hujus rei causa adferri.

Nam primum sponte patet, usum eorum, quibus persuasio efficiatur, fieri non posse, nisi ea invenerimus, ideoque τὸ θεωρεῖν τὸ πιθανὸν primarium esse oratoris officium, a quo omnia pendeant. Hoc ipse innuit l. 1. c. 2. ubi, quum de triplici genere eorum, quae ad persuadendum sint accommodata, et ita comparata, ut ipsius oratoris arte ac studio comparentur (πίσεων ἐντέχνων) exposuisset, §. 14. haec addit: ἐπειδὴν δια πίσεις δια τέταρτων εἰσι, Φανερὸν, διὰ ταῦτα τριῶν

τρια εἰσὶ λαβεῖν τοῦ συλλογισμοῦ δυναμένου, καὶ τοῦ θεωρῆσαι
 τὰ περὶ τὰ ἔθη καὶ τὰς αἱρέτας, καὶ τρίτον τὰ περὶ τὰ πάθη, τι
 τε ἐκαστόν εἰσὶ τῶν παθῶν, καὶ ποιὸν τι, καὶ ἐν τίνων ἐγγίνεται, καὶ
 πῶς. „Quum res ad persuadendum accommodatae ex his fontibus
 „nascantur, patet, haec tria consequi (s. usum eorum sibi compa-
 „, rare) eius esse, qui syllogismis uti possit, et ratione morum, vir-
 „tutum, denique affectuum perspicere, quidnam sit quaevis animi
 „commotio, qualis sit, unde, et quanam ratione oriatur.“ Pot-
 erat igitur Philosophus, re altius perspecta, omnia, quae ad facul-
 tam orationem pertinent, sub inventione eorum, quae in quaue
 re insint ad persuadendum accommodata, comprehendere. Alteram
 causam, cur ARISTOTELES his verbis usus fuerit in definienda rhe-
 torice, in eo mihi reperisse video, quod notionem eloquentiae ar-
 tificiosae (quae arte quadam, institutione, exercitatione formata,
 exculta, aucta ab iis, qui ea utuntur, ad rationem certam finem-
 que dirigitur) accuratius exprimere voluerit. Quanquam enim ne-
 gari non potest, illam quoque rudiorē eloquentiam, a prudentia
 naturali, Phantasiae alacritate, animi perturbatione profectam, arte
 nulla emendatam perfectamque, τῷ πιθανῷ uti, ac vere persuad-
 dere hominibus, tamen facultas, in quavis causa videndi quaecunque
 inveniri possint ad persuadendum accommodata (τὸ ἐνδεχόμενον πιθα-
 νὸν) arte et institutione nitatur necesse est. Nam qui totius dicen-
 di artis (ut cum CICERONE loquar) ignari nec praecepta, nec ullam
 exercitationis viam neverunt, sed, quaecunque praefens animi con-
 filium, Phantasia fervidior, vehemens animi commotio loqui iussorit,
 eloquuntur, ii nec omnia, quae ad τῷ πιθανῷ pertineant animad-
 vertent, nec in quavis causa, quomodo ad finem propositum perve-
 niant, intelligent (in primis si vel ob auditorum indolem, vel ipsam
 rei naturam, vel aliam causam oratori alios ad sententiam suam ad-
 ducturo via longiori, flexa, minusque trita incedendum est). Im-
 mo accidet iis subinde, ut, cur haec vel illa potissimum dixerint,

hunc

bunc illumve dicendi modum adhibuerint, ipsi nesciant, et casu petius animique impetu, quam consilio ducti in ea incident, quae permultum ad persuadendum faciant. Contra qui praecepta quaedam didicit, praesidia persuasionis cognovit, et omnia ad rationem certam modumque dirigit, exercitatione, usque dicendi edoctus, emendatus, confirmatus; is in quavis causa diligenter pervestigat et facile animadvertisit omnia ad persuadendum accommodata (*Θεωρεῖ τὸ πλαθανόν*), apte eligit, neque, si vel angustiis quibusdam prematur, aditus ad auditorum animos captandos preeclusos sibi esse putat.

§. 3.

Vidimus ex iis, quae hucusque disputata sunt, CICERONEM in definienda facultate oratoria, illiusque fine constituendo cum ARISTOTELE consensisse. Longe ab iis discedit QUINCTILIANUS l. 2. c. 15. qui aliam rhetorices definitionem commendaturus sententiam eorum, qui rhetoricen aut vim persuadendi, aut vim dicendo persuadendi esse dixerint, refutat, et ad eam rem argumentis utitur, quae, quamvis sint subtiliter et acute excogitata, tamen non omnino ad rem nostram pertinere, neque id efficere videntur, quod ipse efficere voluit. Nam in eo quidem, quod errasse putat, qui rhetoricen simpliciter ita definirent, ut esset vis (facultas) persuadendi (cum non verba tantum, sed pecunia etiam, gratia, auctoritas, ipse adspectus dicentis persuadere possint,) neminem facile habebit adversarium²⁸⁾; quanquam vehementer miratus sum, quod

CICE-

28) Nam et si VOSSIO (libro saepius laud. p. 44) concedatur, *τὸ περιστῆναι* si definitius loquamur, iis tantum tribui, qui dicendo efficere studeant, ut auditores sententiam propositam veram esse iudicent, negari tamen non potest, hoc vocabu-

lum subinde sensu latiori adhiberi, (id quod Vossius ipse p. 43. haud obscure innuit) ideoque non omnino ab omni in definiendo ambiguitate recte defendi potuisse, qui rhetorici dicerent vim esse persuadendi,

CICERONEM his scriptoribus adnumerandum putaverit, qui in his ipsis de inventione libris a QUINCTILIANO illo loco laudatis (l. I. c. 5.) officium finemque facultatis oratoriae multo accuratius ita constitutus: officium autem eius facultatis videtur esse, *dicere apposite ad persuasionem*, finis persuadere *dictione*. Sed minus arrident, quae contra eos proferuntur, qui vim rhetorices ita definiant, ut sit facultas dicendo persuadendi. Verba haec sunt (§. II.) at ne hoc quidem satis est comprehensum. Persuadent enim dicendo, vel ducent in id, quod volunt, alii quoque, ut meretrices, adulatores, corruptores. At contra non persuadet semper orator, ut interim non sit proprius hic finis eius, interim sit communis cum his, qui ab oratore procul absunt. Sic putat, partim oratoris nomen iis etiam concedi, qui pessima et turpissima aliis persuadere studeant, ita ut non errasse videantur, qui rhetoricen malam esse et fraudulentam artem dicerent (hinc eod. cap. de THEODORO, qui ab hac sententia non alienus fuit, dicit: *concedit scelera quoque suadentibus pulcherrimae rei nomen*, et c. 16. cum adversus illos eloquentiae criminatores disputasset, addit: *quare etiam si in utramque partem va'ent arma fæcundiae, non tamen est aequum, id baberi ma'um, quo bene usi licet.* Verum haec apud eos forsitan queruntur, qui summam rhetorices ad persuadendi vim retulerunt, partim (ut mox dicit,) oratorem fortunae subiici, ita ut, si non persuaserit, nomen suum retinere non possit. Sed ut facile utrumque largiamur, neque solum oratorem, qui proprie sic dicitur, persuadere, neque semper et ubique persuasionem oratione effici, tamen inde non sequitur, rhetoricen temere dici facultatem dicendo persuadendi. Nam, quid faciunt tandem adulatores, corruptores, et alii, qui dicendo persuadere studeant, nisi quod argumenta, quibus res probanda demonstretur (seu vera sint, seu probabilia tantum et speciosa) adferant, et cum sententiis ipsis, tum earum conformatioe, verbis, interdum voce etiam gestuque, benevolentiam sibi concilient, ad Phantasiam lo-

quan-

quantur, mentem commoveant, ut verbo dicam, praesidiis utantur, quae ad facultatem oratoriam pertineant? Quod non ita asserimus, quasi nullum putemus oratores inter et alios, qui dicendo persuadeant, intercedere discrimen. Nam si oratoris nomen ex communi usu dicendi proprie iis tantum tribuitur, qui de rebus, quae dignitate, gravitate, utilitate ita se commendant, ut non unum modo paucosve, sed multos intersit, oratorem audire, coram pluribus exposituri, seriem quandam enunciationum arte et ratione digestarum, compositarumque et ad unum eundemque summum finem pertinentium elocutione, pronunciatione, actione adornando fini proposito accommodate dicant; multum sane orator auditoribus persuasurus et consilii dignitate, et arte ac ratione aliis idem facientibus antecedat necesse est, quippe qui unum modo paucosve, quibuscum ipsis aliquid sit negotii, ad sententiam suam perducere studeant, ac plerumque de eiusmodi rebus loquantur, quae, nisi omnino sint gravitate destitutae, tamen iis tantum, ad quos proxime pertineant, magnae possint gravesque videri, ideoque facilis ad finem perveniant, neque tot tantaque possint debeantque praestare, quanta ab oratoribus iure meritoque exigantur. Id modo intelligi voluimus, vim et naturam facultatis oratoriae esse eandem, five oratores proprie sic dicti, five alii usu illius studeant persuadere, neque nisi rationem eam adhibendi esse diversam.

Hinc definitio eorum, qui eloquentiam ita descripserunt, ut esset facultas dicendo persuadendi, nisi aliis de causis vitiosa sit, eo nomine profecto non taxanda videtur, quod non solus orator dicendo persuadeat. At oratorem tamen ipsum ab aliis, qui eundem finem sibi propositum habent, sic non facile discernas? Recte. Sed nunc non de artificiis, sed de ipsius artis notione loquimur. Neque fieri potest, ut eadem definitio pariter eloquentiae, ac ipsius oratoris proprie sic dicti notionem exprimat, quem aliquo quoque interdum illa dicendi facultate alia ratione uti videamus. Liceat rem

rem exemplo aliarum artium illustrare. Putabimusne eos, qui se
 musicos pictoresque proflantur, ab iis, qui utramque artem eo
 consilio didicerint, ut horis subsecivis studio earum animum pos-
 sent oblectare, et a labore curisque relaxare, nihil differre? Ab-
 sit hoc. Attamen naturam finemque hatum artium diverso earum
 usu non mutari nemo facile negabit. Neque obstat, quod alii di-
 cendi facultate bene, alii male utantur. Utrumque hominum ge-
 nus minime diversis artibus utitur; neque ipsa artis definitione,
 sed alia ratione debet doceri, cur bonum oporteat atque honestum
 fieri eloquentiae usum. Denique nec hoc sententiae eorum, qui
 rhetoriken putent facultatem esse dicendo persuadendi adversari vi-
 detur, quod orator non semper persuadeat. Etenim si verum es-
 set, quemvis oratorem, quodvis eloquentiae genus, quamvis ora-
 tionem in eo elaborare, ut auditoribus aliquid persuadeat, nemo
 recte, vanum esse hunc et inanem finem inde concluderet, quod
 non quovis loco ac tempore consequi liceat. Provocamus denuo ad
 similem aliarum artium rationem. Etenim, (ut exemplo eodem
 utamur, quod ARISTOTELI placuit²⁹⁾, quem supra vidimus neuti-
 quam negasse, persuasionem finem esse rhetorices, quanquam ipse
 largiretur, oratorem non semper persuadere) omnes facile conce-
 dent, usu artis sanandi neque quemvis neque ita omnes sanari, ut
 nihil amplius desideretur. Quis tamen negabit, finem huius artis
 pertinere ad aegrotos sanandos? Intelligimus quidem maxime e
 l. 2. c. 17. §. 23. QUINTILIANUM id praecipue eorum causa ur-
 gere, qui rhetoriken artem nullam esse inde colligant, quod non
 finem certum sibi propositum habeat, certe non praestet eum,
 quem promiserit: firmum autem hoc, quod opponitur, adversus eos
 fortasse sit, qui persuadere finem putaverunt. Noster orator, arsque a

no-

29) Haud dubie QUINTILIANUS LIS locum ante oculos habuit.
 l. 2. c. 17. §. 25. hunc ARISTOTE-

nobis finita, non sunt posita in eventu ³⁰⁾. At, praestabat homines illi-
los eodem exemplo, quo ipse h. l. ad definitionis ipsi probatae vim
uberius explicandam utitur (governatoris, qui, et si tempestate pro-
hibitum fuerit, quo minus finem, navem salvam in portum ducen-
di, consequeretur, tamen gubernator dicatur) refutare, quam cul-
pam huius erroris in vulgarem de rhetorices fine sententiam
conferre.

§. 4.

Attamen, et si hanc ipsam rhetorices definitionem non iis de-
causis, quas a QUINTILIANO allatas esse vidimus, vel iusto latio-
rem, vel angustiorem, ideoque improbandam esse putamus, nolu-
mus tamen verissimam iudicare, et contra eos defendere, qui bene
viderunt, finem illum rhetorices propterea admitti non posse, quod
non omnibus eloquentiae generibus, quae a veteribus constituta
fuisse novimus, conveniat. Nam quod ad orationes iudiciales et
deliberativas attinet, facile videbimus, et illos, qui hominis cuius-
dam innocentiam scelusve sint declaraturi, iudicesque ad absolvendū
eum damnandumve excitaturi, et hos, qui id potissimum ef-
ficere studeant, ut, quae suaserint, approbentur, et rata fiant,
quae dissuaserint, improbentur, omnem vim suam artemque ad rem
quandam aliis persuadendam adhibere, ita ut persuasio recte utrius-
que generis summus finis constituatur ³¹⁾). Verum aliter de fine

³⁰⁾ Qualis fuerit definitio QUINTILIANO probata, infra dicemus.

³¹⁾ Hinc simul causa intelligitur, cur plurimi veterum artis rhetor. scriptorum ita de fine dicendi facultatis statuerint. Etenim cum mores et instituta Graecorum Romanorumque ita essent comparata, ut frequen-

tissimus apud eos fieret et maxime necessarius utriusque generis usus, et oratores, dum finem propositum consequi studerent, vix possent ulla in re facilis, quam in illis orationibus, quanta vis esset dicendi facultatis bene ac prudenter adhibitae, offendere, et auctoritatem inde famamque fibi

illius tertii orationum generis (demonstrativum dico, quod alibi laudationum ³²⁾, Graecis plerumque λόγων ἐπιδεικτικῶν nomine comprehenditur) iudicemus necesse est. Etenim consilium illarum orationum minime eo pertinuit, ut auditores ad sententiam probandam adducerent, quae ipsis antea vel prorsus incognita fuerit, vel non satis comprobata, aut de consilio quodam capiendo mitten-dove admonerent. Attamen, dum praedicabant vitam, virtutes, res gestas alicuius, nonne laude et admiratione dignum esse docebant, saepiusque eos, coram quibus dicebant, ad imitationem cohortabantur? ³³⁾ Recte. Sed non ita laudabant, quasi auditores vel prorsus ignoraverint vitam eius virtutesque, vel de iis non fa-

F 2 tis

hibi conciliare; ac praeterea, qui de eiusmodi rebus persuadere vellet auditoribus, omnia praesidia oratoris, quae vel ad rationem edocendam, vel Phantasiae vim excitandam, vel affectus nunc movendos, nunc flectendos pertinerent, eorumque usum nosse deberet, atque tenere; facile poterant in hunc errorem induci, ut omnia, quae ad universam dicendi facultatem pertinent persuasionem referenda esse putarent, neque natum et indolem aliarum orationum accuratius investigando intelligerent, quam parum iis finis ille esset accommodatus. Vd. JENISCHI nota ad CAMPBELLII Philosophiam Rhetorices supra laud. p. 44—46.

. 32) Quanquam enim huius generis partes vulgo laudem et vituperium constituebant, tamen universum genus non tam (ut QUINTILIANO I. 3. c. 4. visum est) a meliori parte (laude) quam ea de causa sic appellasse videntur, quod vituperia maxime ad orationes iudiciales pertine-

rent (in quas reprehensio accusatoris, defensoris, testimonia saepius incideret) neque singulare genus constituerent. Rarius enim orationes, quae totae essent invectivae (qualis illa fuit CICERONIS, vd. ad Att. I. 13. ep. 12.) non tam civium usui destinatae, quam vel privatae inimicitiae causa compositae, vel (quod a Sophistis interdum fieri solebat) ostentationis aut exercitationis causa elaboratae (vd. CRESOLLI theatrum veterum rhetorum, oratorum etc. L. 3. c. 7. in GRONOVI thesauro antiquiss. Grr. Vol. X.) scribebantur.

33) Hoc praecipue in orationibus Graecorum ἐπιταφιοῖς, quae cives pro patria mortuos laudabant, aptissime fieri solebat (ut in Thucydidis λόγῳ ἐπιταφίῳ, de cuius consilio DIOMYNI HALICARN. in arte rhetor. c. 8. sect. 9. T. V. edit. Reiske iudicat: τῆς μὲν γὰρ ἐγκωμιασινής ιδέας ἔσιν ὁ ἐπιτάφιος, συμπλέκεται δ' ιδέα συμβεβλεψική).

tis persuasum sibi habuerint; id quod inde appareat, quod historia teste compertum habemus, non ignobiles fuisse ignotosque cives, sed vel illustres, ac de republica optime meritos, vel ingenio, prudenter, animique virtutibus aliqua ratione commendatos, quibus honor ille contingere.

Eorum merita virtutesque laudationibus illis non primum cognitae reddi poterant, sed ita oratione illustrari, ut vividior graviorque admirationis sensus, quo ipse orator mentem occupatam sentiret, in animis auditorum excitaretur, qui cum maxima delectatione esset coniunctus, et ad ipsius oratoris, omnem vim suam et copiam in eiusmodi orationibus ostentantis laudem haud parum conferret 34). Neque illa ad imitationem cohortatio primarium

34) Moneamus tamen obiter, conciones funebres Romanorum non omnino pariter ac λόγοι ἐπιτάφιοι Graecorum, ad laudem civium pro patria mortuorum compositos, fuisse huic fini accommodatas, neque omnino (ut bene monuit SCHLEGELIUS in examine λόγων ἐπιτάφων Lysiani addito eiusdem versioni in Museo Attico Volum. I. sect. 2. p. 271.) recte posse cum iis conferri. Quanquam enim utrumque genus ad laudem mortuorum pertinuit, tamen in illis Romanorum concionibus funebribus (quae plerumque a cognatis mortuorum, interdum a magistratibus, quibus hoc officium a senatu fuerat demandatum, recitabantur, nonnunquam tantum ad legendum componabantur) plerumque pietas magis et fama, quae mortuis, et genti eorum parabatur, quam auditorum delectatio et artis ostentatio spectata fuisse videtur. Vd. BRUTUS

c. 16. Hinc CICERO I. 2. de or. c. 84. §. 341. eas ad orationis laudem minime accommodatas esse iudicavit, cui sententiae non repugnant loca, quibus diserte monuit, in laudationibus omnia fere ad voluptatem auditorum referri, illudque genus ad dicendum esse uberrimum (vd. partit. oratt. c. 21. c. 20. §. 69.) id quod non tam de hac singulari generis demonstrativi specie, quam de universo genere praecipitur. Cfr. V. CL. AUG. GUIL. ERNESTII disput. de panegyrica eloquentia Romanorum, aureae quidem aetatis (in ei. opuscul. oratorio-philologicis, Lpf. 1794. 8.) p. 178. Causas huius rei in ipso utriusque consuetudinis discrimine positas quo minus nunc uberior persequamur, propositi nostri ratio prohibet. Videntur tamen illa CICERONIS verbæ, quibus concionibus funebribus eam virtutem, ut ad orationis laudem sint accommodatae, denegat, non

harum orationum consilium esse potuit, quum plerumque non modo prudentiam, probitatem, omnesque eas virtutes, quae studio et exercitatione comparantur, sed alia etiam, quae vel a natura proficisciuntur, vel fortunae debentur, laudibus exornarent. His de causis rectius, opinor, animi delectationem et artis ostentationem, quam persuasionem huius generis finem appellaveris. Neque ignoramus, non tantum iis orationibus, quae unice ad laudem alicuius pertineant (quales sunt funebres orationes, Graec. λόγος ἐπιτάφιος, et quae seniori aetate apud Romanos ad imperatores habebantur, ut Panegyricus PLINII) sed etiam aliis quibusdam laudationem inesse, ita tamen, ut non tota oratio ad eam possit referri. Huc pertinent partim antiqui Graecorum 35) Panegyrici,

non esse nimium premenda. Suppeditat enim historia Romanorum per multa exempla, unde facile colligas, interdum haud exiguae fuisse talium orationum gravitatem, copiam, splendorem. Nam (ut notissimum exemplum illius concionis taceam, qua ANTONIUS CAESAREM interfecatum laudavit) l. 2. de or. e. 11. in. ANTONIUS et se, et omnes, qui ad fuerint, vehementer delectatos fuisse dicit oratione a CATULO in POPILIAE matris laudem recitata. Simit. PLINIUS in epist. l. 2. ep. 1. scribit, L. VERGINII RIFI exsequias magnum ornamentum principi, seculo, *foro et rostris* attulisse.

35) Non una semper eademque fuit eloquentiae Panegyricae ratio. Quamdiu enim Graeciae civitates priscam libertatem retinuerunt, tamdiu orationes publicis totius Graeciae conventibus, πανήγυρεσι dictis, qui cum ludis ac certaminibus sollempni-

bus fuerunt coniuncti, recitari solitae, non unice ad laudem atque ostentationem erant comparatae, sed simul suadebant aliquid, aut dissuadebant, ita ut singulare genus orationum constituerent, ex deliberativo proprio sic dicto et ἀποδεκτηριῶν quasi compositum, quod ab aliis suasionibus et oratt. iudicet. ita differret, ut artibus iis, et ornamentis, quae ad delectationem et ostentationem pertinerent, paullo liberius uteretur. (Etenim iubebant artis rhetor. scriptores cautiorem fieri earum rerum usum in oratt. forensibus et deliberatt. ne orator insidias struere videretur auditoribus, ideoque persuasio impeditur. Alia fuit ratio Panegyricorum. Ipsa conventus publici dignitas, loci solemnitas, auditorum copia usum artificiosioris dicendi generis non modo permittebat, sed adeo efflagitabat.). Quum vero Graeci aliorum imperio subiecti non omnino ex ipsorum arbitrio

qui, quanquam Deorum, heroum, maiorum, civitatis laudes continebant, et ab antiquis artis Rhetor. scriptoribus generi ἐπιδεικτικῷ³⁶⁾ accensebantur, tamen (ut QUINTILIANI verbis utar, 1. 3. c. 4. §. 14. coll. CIC. in orat. c. 11. §. 37.) suadendi formam habebant, ac plerumque de utilitatibus Graeciae loquebantur, ad concordiam servandam, barbaros fortiter oppugnandos, et alia cohortabantur (qualis fuit ISOCRATIS³⁷⁾ Panegyricus), omnes-

que

bitrio res suas possent administrare, neque tamen illa certaminum solemnum consuetudo tolleretur, ipsique Romani certamina ad imitationem Graecorum conformata instituerent, oratores Panegyrici omnia partim ad Dei, qui certamini praeesse putabantur, certaminis ipsius, loci, praemii propositi, imperatoris laudem, partim ad athletas admonendos et excitandos, omninoque ad ingenii ostentationem, gravioribus argumentis substituti, retulerunt. Cfr. quae apud DIONYS. HALICARN. arte rhetor. c. 1. et c. 7. de λόγοις πανηγυρικοῖς et προτρεπτικοῖς τοῖς αθληταῖς praecipiuntur. Hoc genus orationum ante oculos habuisse videtur QUINTILIANUS 1. 3. c. 7. §. 3. ubi praeter laudationes funebres et eas, quae in orationibus iudiciali. adhibeantur, aliud genus prorsus ad ostentationem comparatum his verbis commemorat: neque inficias eo esse quendam ex hoc genere materias ad solam compositionis ostentationem, ut laudes Deorum virorumque, quos priora tempora tollerunt. (Nam in iis, quae statim sequuntur, exempli loco commemorat laudes Capitolini Jovis, perpetuam sacri certaminis materiam, Sub his

certaminibus Romanorum ludos Gymnicos ad morem Graecorum institutos intelligendos esse, bene monuit Cl. SPALDINGIUS ad l. 2. c. 8. §. 7.) Tum omnino latius apud Romanos patere coepit notio orationis Panegyrica, ita ut etiam ad omnes publicas principum laudationes, et similes dictiones transferretur.

36) Latius enim patuit vocabulum generis ἐπιδεικτικοῦ, quo non tantum orationes unice ad laudem comparatae, sed etiam suasiones eiusmodi, historiae, omnia dictiōnum scriptiōnumque genera delectationi et ostentationi maxime accommodata comprehendebantur; quanquam laudationum genus saepius πατέξοχη ita appellatum fuisse novimus. Vd. CIC. orator c. 11. §. 37. Hinc bene monuit QUINTILIANUS 1. 3. c. 4. §. 13. 14. distinguendum esse genus ἐπιδεικτικοῦ ab ἔνωμιασμῷ (laudativo) quod speciem illius constituit.

37) Vd. quae DIONYSIUS HALIC. arte rhetor. 9, 12. in. de duplice huius et aliarum duarum ISOCRATIS orationum consilio iudicavit, qui in eo tamen erravit quod suasionem non ἔργον (primarium finem) sed πάρεργον esse putaret;

que aliae orationes, quae, dum aliquem defendunt, alterum accusant, aut consilium aliquod populo commendant, copiosius in laudibus virtutibusque cuiusdam enumerandis vel vitiis perstringendis versantur ³⁸⁾; partim eae, quibus animum ob beneficia accepta gratias habentem, de felici alterius fortuna laetantem, eidemque bene cupientem significamus ³⁹⁾. Non unum posse eundemque harum orationum finem constitui vix est quod moneam. Nam quo facilius concedimus, orationes iudiciales ac deliberatiyas proprie sic dictas, quibus copiosior laudatio vel vituperatio insit, minime ad laudem et vituperium, ad voluptatem et ostentationem, tanquam primarium finem spectare (cum omnis indoles earum et oeconomia ostendat, scriptores earum laudem et vituperium ita adhibuisse, ut persuasioni oratione efficiendae inserviret,) neque orationes Panegyricas Graecorum veterum esse a fine persuadendi remotas (quoniam, ut antea vidimus, delectatio persuasioni in illis orationibus non ea ratione subiici soleret qua in iudiciali. et deliberati. fieri debuit, unde CICERO in orat. c. II. et QUINCTIL. I. 3. c. 4. non dubitarunt, quo minus eas λόγοις ἐπιδεικνοῖς adnumerarent, et ab eloquentia foro et concionibus accommodata prorsus removerent); eo diligentius omnia alia orationum genera ab iis distinguenda putamus, quae,

et si

τὸ δὲ ἔστιν ἔργον τὸ ἔγνωμον (sic enim scribendum esse pro vulg. ἔγνωμα docet oppositum συμβελή) etc. cfr. quae WIELANDTIUS hac de re monuit in Museo Attico Vol. I. sect. I. p. 29. 30.

38) Tales fuerunt CICERONIS oratt. in L. PISONEM, pro LIGARIO, pro lege MANILIA, et PHILIPPICA noua pro SULPITIO mortuo statua ornando. Ceterum laudationem et vituperationem haud raro in genus iudiciale incidere, diserte monuit

QUINTILIANUS I. 3. c. 7. fin. et laudare testim. vel contra pertinet ad momentum iudiciorum et ipsis etiam reis dare laudatores licet et edicti in compositores, in L. Pisonem, in Clodium, et Curionem libri vituperationem continent, et tamen in senatu loco habiti sunt sententiae. Cfr. SPALDINGIUS ad h. I.

39) Huc pertinent CICERONIS orationes pro MARCELLO ad CAESAREM et post redditum ad QUIRITES et in senatu habitae.

etsi interdum non pauca habeant cum illis communia, tamen omni
indole, oeconomia, dicendi ratione ita sunt comparata, ut minime
ad eos auditores pertineant, quibus res dubia et incerta sit persuad-
enda, sive sint laudationes merae, sive cum gratiarum actione et
bonis appreciationibus coniunctae. Utrumque genus ad ingenii
artisque ostentationem, et auditorum oblectationem, tanquam
primarium finem, recte potest referri. Nam quod ad eas attinet,
quae meram laudationem cuiusdam concant, de iis iam supra ea
disputavimus, quae nunc neque repetere, neque uberiorius persequi
attinet. Hoc addere sufficiat, nos cum iis neutiquam facere, qui
illud orationum genus laudativum eximendum putent orationum
numero (ut Cl. WIGANDTIUS in introduct. versioni Panegyrici
PLINIANI praemissa p. 20. qui Panegyricas orationes operibus
poëeos lyricae rectius accenseri putat, quippe quibus nec suadea-
tur aliquid, nec dissuadeatur, sed quidam animi sensus exprimantur;
a cuius sententia non alienus esse videtur SCHLEGELIUS in
examine concionis funebris Lysianeae libr. supra laud. p. 267—69.)
Fateor enim, causam idoneam non apparere, cur omnes eas dictio-
nes, quarum primarius finis non in eo versetur, ut voluntatem
hominum regant ac moderentur, ab oratoris provincia removeri
oporteat. Quid nos prohibet, quo minus oratorem interdum alia
quoque consilia sibi proponere posse putemus, ita ut nunc maxime
edocere velit 40), nunc animum oblectare? (Id bene viderunt

SUL-

40) Quanquam enim orationes, utriusque generis certae quaedam
notae, quarum ope ab iis, quibus cognata sint, generibus bene possint
distingui. Solet enim orationis nomen (si definitius loquimur) ad eas
dictiones scriptionesque transferri, quae accommodatae sint auditoribus
iis, qui vel omnino subtiliorem, alte
reconditam, ornatu destitutam tra-
cta-

SULZERUS: *allgemeine Theorie der schönen Künste*, T. IV. sub v.
Rede. CAMPBELLIUS lib. saep. laud. p. 33. seqq. HUGO BLAI-
 RIUS: *Vorlesungen über Rhetorik etc.* T. II. praelect. 23. inde a
 p. 237.) Hinc non dubitabimus, quo minus concionibus illis ἐπι-
 τραχαιοῖς veterum, et imperatorum laudationibus per se spectatis,
 orationis nomen concedamus, cum neque argumenti dignitas 41)

atque

citationis rationem ferre non possint, vel certe eo consilio oratori aures
 praebant, ut non tantum iudicandi et concludendi facultates, sed sensus
 etiam, Phantasia, vis appetendi et aversandi suaviter moveantur et agi-
 tentur. Huic fini ut respondeat ora-
 tio, necesse est partim quidam elo-
 cutionis ornatus adhibeatur, qui me-
 dium quasi locum teneat exiliis in-
 ter et simplicius genus dicendi (quo
 Philosophis, Mathematicis, iisque
 omnibus uti licet, qui plerumque ad
 rationem solam loquuntur) atque
 poëtarum elocutionem, qui omnia ad
 Phantasiam, animique sensus, velut
 primarium scopum, conferunt (vel
 ipsa veritate interdum neglecta);
 partim pronunciationis et actionis
 venustas accedat, qua oratio a com-
 mentatione recitanda differat. In
 utroque praecipue cerni naturam fa-
 cultatis oratoriae, propria vis voca-
 bulorum latiorum: orator, oratio,
 eloquentia, et nostrorum: *Rede*, *Red-
 ner*, *Bereitsamkeit*, declarat (cfr. Cr.
 CERONIS orator c. 19. in.). Prae-
 terea sponte intelligitur, in ipsa ma-
 teria argumentisque eligendis non
 modo gravitatis et dignitatis, quae
 per se facile possit auditores lecto-
 resque tenere, sed etiam illius vir-

tutis rationem esse habendam, ut ac-
 commodata sint ornati oratorio.
 Quae cum ita sint, omnino licebit
 orationes, quibus non tam moyendi,
 quam docendi, vel delectandi finis
 sit propositus, pariter ac illas, quae
 ad voluntatem hominum moderan-
 dam pertineant, orationum nomine
 comprehendere, si modo caverit ora-
 tor ne vel commentarym subtilem
 et inornatam, vel poëma (quod vel
 nihil, vel pauca habeat, quibus ra-
 tio sola possit teneri, detractis omni-
 bus ornamentis, quae sensus, Phan-
 tasiam, affectus moveant) scripsisse
 videatur. Eademque de causa scrip-
 tio ad legendum tantum composita
 recte potest oratio vocari (quamvis
 externa actionis et pronunciationis
 venustas desit) dummodo illa argu-
 mentationis, tractationis, ornatus
 indoles, quam orationi propriam pu-
 tamus, non desideretur. Ceterum
 in hac orationis notione constituenda
 adsentientem me habere intellexi
 B. HEYDENREICHUM: *System der
 Aesthetik*, T. I. Lips. 1790. 8. p.
 218. 19.

41) Nonne enim ad eos, coram
 quibus vel civium mortuorum, vel
 principum laudatores loquebantur,
 maxime pertinuit, virtutes ac merita
 eorum

atque ornatus ille, quo orationes ab aliis scriptioribus plurimum differunt in iis desideretur, neque (ut in nota n. 40. vidimus) oratio, quae ad voluptatem et admirationem praecipue composita sit, propterea poëseos potius, quam eloquentiae operibus debeat adulterari (quanquam historia docuit, non defuisse laudatores, imprimis imperatorum Romanorum aetate, qui turpi adulazione detici, splendidissime laudando, quae tanta exornatione vix digna possent videri, fingendo adeo et falsa proferendo limites oratori praescriptos transgredierentur, et poëtas potius agerent).

Neque aliter iudicandum videtur de orationibus, quae ad viros auctoritate et dignitate conspicuos eo consilio habentur, ut dum pro beneficiis acceptis gratias iis agimus, aut fausta novi munieris auspicia, honores, alia commoda gratulamur, et bonas appreciationes adiungimus, simul laudes eorum persequamur ⁴²⁾. Quanquam enim id praecipue solet spectari, ut benevolentiam sibi conciliet orator, tamen hac ipsa de causa ea dicere solet, quae et illius, ad quem oratio habetur, et ceterorum, qui audiant, delectationi inserviant, ipisque laudem comparant; neque hac in refaciens aliquid oratore indignum, dummodo sciat, quid laudatorem inter et adulatorem interstet. Denique omnia alia orationum genera, quae neque ad persuasionem possunt referri, neque publicae fuerunt

eorum denuo quasi uno obtuitu comprehendere, ut inde discent, quid ipsis effet faciendum, ad eandem virtutis et honestatis famam adspirantibus? Sic facile vides, orationes demonstrativas, non ita fuisse ad laudem et ostentationem compositas, ut omnis utilitas et argumenti dignitas excluderetur. Cfr. CIC. partit. oratt. c. 20. §. 69. add. AUG. GUIL. ERNESTI vindiciae panegyristarum in

ej. opusc. oratorio-philolog. p. 159. sqq.

42) Huc pertinent λόγοι illi τρόποι φωνηματίοι, de quibus DIONYS. HALIE. arte rhetor. c. 5. exposuit, qui sub finej cap. hoc genus orationum diserte τοῖς πανηγυρικοῖς adnumerat, unde confirmari vides, quae supra de latiori, qui seniori aetate obtinuerit, vocabuli λόγων πανηγυρεῶν usu disputavimus.

fuerunt principum aliorumque civium laudationes, sed in rebus parvis et argumentis levioribus commorabantur, si quis digna puet orationum nomine, non dubitabimus quin eidem generi *ēπιδεικτικῶν* accenseamus. Habuerunt enim talium dictiōnum scriptores hoc sibi propositum, ut artem quandam et ingenii subtilitatem ostenderent, et auditoribus suis lectoribusve placerent 43).

§. 5.

Haec paullo uberius disputanda putavimus, quo facilius intelligeretur, quantopere ille finis dicendi facultatis, quem nonnulli artium scriptores in persuasione ponunt, ab indole omnia illarum orationum, quae sub genere *ēπιδεικτικῶν* comprehenduntur, abhorreat. Neque id CICERO noster non ipse intellexisse videtur. Nam diserte docet in orat. c. 11. §. 37, coll. c. 61. ex. genus *ēπιδεικτικὸν* prorsus esse ad delectationem et aurium voluptatem comparatum 44), illiusque consilium a fine orationum iudicialium et deliberativarum accuratius distinguit in partitt. oratt. c. 20. §. 69. cognita igitur omni distributione propositarum consultationum, causarum genera restant admodum. Et earum quidem forma duplex est, quarum altera delectationem sectatur aurium, alterius ut obtineat, probet, et efficiat, quod agit, omnis est suscepta contentio. Cfr. c. 21. §. 71. ubi de rationibus laudandi et vituperandi haec differit: quamobrem finis alterius (laudationis) est honestas, alterius (vituperii) turpi-

G 2

tudo.

43) Coepérunt eiusmodi dictiones præcipue ea aetate arridere, qua verus boni et pulcri sensus apud Romanos interiit, quanquam iam antea et in rhetorum scholis usitatas fuisse et a Sophistis Graecorum diligenter tractatas novimus. Vd. CRESOLLI theatrum rhetorum etc. l. 3, c. 9.

44) Eadem de causa permittit I. I. generi *ēπιδεικτικῶν* artificiorem periodorum structuram et frequentiorem usum aliarum rerum, quae delectationi ita inserviant, ut orator forensis, nisi parce et admodum cante iis utatur, omnem veritatem atque fidem tollat.

tudo. Conficitur autem genus hoc dictionis, narrandis exponendisque factis, sine ullis argumentationibus, ad animi motus leniter tractandos magis, quam ad fidem faciendam, aut confirmandam accommodate. Non enim dubia firmantur, sed ea, quae certa aut pro certis posita sunt, augentur. Quod si ipse intellexit, diversum esse harum orationum finem a fine generis iudic. et deliberat. mirandum profecto, quod cum in ceteris libris rhetorice, tum in his ipsis partitt. oratt. c. 2. in. (de quo loco §. 1. ex. diximus) omnem dicendi facultatem ad persuasionem retulerit. Accedit, quod omne illud genus demonstrativum maxime ad oratorem pertinere putavit (cfr. I. 1. de invent. c. 5. ex. de orat. l. 2. c. 85. §. 348. partitt. orr. e. 3. ex. 4⁵) neque (nisi in libello: orator, inscripto) prorsus voluit a praceptoribus suis separare (quamobrem de locis, unde sint argumenta laudationibus et vituperationibus accommodata petenda, nunc brevius, nunc copiosius disputavit, l. 2. de invent. c. 59. de orat. l. 2. c. 11. c. 84. 85. partitt. oratt. e. 21 — 24). His de causis, opinor, aliter profeeto vis dicendi facultatis a scriptore nostro erat constituta. Simul intelligimus, definitionem ab ARISTOTELE exhibitam, quam verbis potius, quam re ipsa, a CICERONIS sententia differre ostendimus iisdem vitiis esse obnoxiam. Nolim tamen largiri, ingenium tam subtile in rerum natura investiganda et discrimine perspiciendo omnino ignorasse, quanam ratione indoles generis ἐπιδεικτικῆς (quod noster et pertinere putavit ad oratoris provinciam, l. 1. c. 3. et in eod. libro praceptoribus copiosius illustravit) ab omni

45) Quanquam usum orationum, quae rotæ sint ad laudem alicuius compositæ, minus frequentem esse, ac necessarium statuit, de or. l. 2. c. 10. ex. c. 84 §. 341. (nam tales potissimum locis laudd. spectari, proxime sequentia docent) saepius vero in aliis causarum generibus locis lau-

dandi et vituperandi utendum. l. 2. de or. c. 85, §. 349. tamen vel illarum causa (quippe quae interdum vel publice sint recitandæ, vel ad legendum conscribendæ) aliqua præcipienda putavit. Vd. l. 2. de or. c. 84. §. 341. ex.

omni natura eloquentiae foro et concessionibus accommodatae differat. Nam quum l. 1. c. 3. et l. 2. c. 18. ubi de diversis orationum generibus loquitur, tria auditorum genera constituant, quippe qui vel de rebus praeteritis (in orationib[us] iudicialebus) vel de futuris (in suasionibus) vel de dicendi facultate oratoris (in demonstrativis) sunt indicaturi ⁴⁶⁾ ac praeterea l. 3. c. 12. §. 2. 5. dicendi genus orationibus demonstrativis accommodatum ita a sermone, quem in deliberativis et iudicialebus regnare oporteat, distinguat, ut λέξιν generis ἐπιδεικτικὸς esse velit γράφωντας ideoque αἰγιθεσάτην (maxime ad legendum comparatam, exquisitissimam) ipse profecto, ni omnia me fallunt, haud nimis obscuris innuit, laudationes magis esse, quam orationes iudice. ac deliberatt. ad ostentationem et voluptatem compositas. Videtur tamen eo in primis ita seductus fuisse, ut omnem eloquentiam putaret facultatem esse ad persuadendum accommodate dicendi, quod similitudinem quandam in iis deprehenderet, quae oratores, ad quemcunque tandem finem tenderent, efficere stuperent. Nam primum eo loco, quo de confirmatione in universum praecipit, concessit quidem, hoc interesse discriminis genus ἐπιδεικτικὸν inter et iudiciale ac deliberativum, quod laudator non in rebus dubiis firmandis versetur (l. 3. c. 17. coll. l. 1. c. 9. non longe a fine: τὰς γὰρ πρόχειρι διολογεμένας etc.) at diserte tamen hoc addidit, amplificationem in laudationibus adhiberi, ut probetur, utilia esse et honesta, quae ab oratore laudentur ⁴⁷⁾. Num igitur propterea persuasionem generis ἐπιδεικτικὸς finem

46) Comprehendit hoc tertium auditorum genus nomine τῶν θεωρῶν, spectorum, petita similitudine a consilio eorum, qui loca, quibus certamina publica instituuntur, aut theatra frequentant, de ingenio, viribus, arte athletarum et artificum iudicaturi, simulque animum oblectaturi.

47) Verba haec sunt l. 3. c. 17. εὐ δὲ τοῖς ἐπιδεικτικοῖς τὸ πολὺ ὅτι παλὰ καὶ ἀφέλιμα η ἀνέγησις ἔσαι· τὸ γὰρ πρόχειρα δεῖ πισένθειν· ὀλιγάκις γὰρ καὶ τέτων ἀποδεῖξεις φέρεται, εὖ ἄπιστα γέ, η δὲν ἄλλος αἰτλαντεῖται.

finem constitui posse putavit, quod ii, qui honestatem et utilitatem rei amplificando demonstrant, tale quid faciant, quale oratores forenses et suasores ad sententiam suam alios perducturi, neque vidit, ἀνέγετος illius in laudationibus praecipue adhibendae, et si aliquid demonstraret, aliud tamen esse consilium, aliam rationem, quam confirmationis et refutationis, quae in reliqua orationum genera incidat? (vd. quae §. 4. de fine λόγων ἐπιδεικτικῶν recte constituendo disputavimus). Sed magis ad rem nostram pertinere arbitror loca supra laudata l. 1. c. 3. in. et l. 2. c. 18. Satis ingeniose observat noster, tria orationum genera in eo convenire, quod ad auditores pertineant, qui de re aliqua sint iudicium laturi ⁴⁸⁾, eamque sententiam ad λόγους ἐπιδεικτικές ita transfert, ut auditores, ad quos laudator loquatur, quanquam magis spectandi animumque oblectandi causa adsint, tamen putet quodammodo iudicis agere personam, quippe de oratoris arte iudicaturos ⁴⁹⁾. (et si ipse l. 2. c. 18. concedat, iudicis nomen proprio iis tantum convenire qui in civilibus disceptationibus de quaestionebus propositis iudicent). Jam quum diversa auditorum genera una eademque iudicis notione comprehendendi posse arbitraretur, ac praeterea bene videret, finem cuiusvis orationis ad auditores pertinere (i. e. in eo cerni, quod in auditorum animis aliquid effici debeat) iudicialibus vero ac deliberativis sententiam quandam auditoribus esse persuadendam; facile hinc causam petere licebit, cur persuasionem omnium omnino orationum summum finem esse putaverit. Qua in re profecto
menti
a vero

48) L. 1. c. 3. in. haec leguntur: μεως, οἷον ὁ Θεωρὸς· ὅσ' εἴξεν ἀνάγκης ἄν-
ανάγκη δὲ τὸν ἀκροατὴν, η̄ Θεωρὸν εἰ-
ναι, η̄ πριτήν; πριτήν δὲ η̄ τῶν γεγε-
νημένων, η̄ τῶν μελλόντων· ἐσὶ δὲ ὁ μεν
πέρι τῶν μελλόντων πρίνων, οἷον ἐπιλη-
σίασῆς: δὲ περὶ τῶν γεγενημένων,
οἷον ὁ δικαστής: δὲ περὶ τῆς δυγα-
μένης, οἷον ὁ Θεωρὸς· ὅσ' εἴξεν ἀνάγκης ἄν-
ανάγκη δὲ τὸν ἀκροατὴν, η̄ Θεωρὸν εἰ-
ναι, η̄ πριτήν; πριτήν δὲ η̄ τῶν γεγε-
νημένων, η̄ τῶν μελλόντων, δικαστήν, ἐπιδεικτικόν.
49) L. 2. c. 18. ἀσκεύτας δὲ καὶ ἐν
τοῖς ἐπιδεικτικοῖς (scil. ἐσὶ πρίσις)
ἀσκερ γάρ πρὸς πρός πριτήν, τὸν Θεωρὸν δὲ
λόγος συνέσησεν.

a vero non aberraturus fuisset, si placuerit ipsi, de eo paullo accuratius cogitare, quonam sensu illam iudicis et iudicii notionem ad genus demonstrativum liceat transferre. Etenim, ut scriptori nostro largiar, omnia orationum genera ad iudicium aliquod dirigi, facile tamen quis intelliget, iudicium auditorum, ad quos laudatores loquantur ita differre a iudicio eorum, qui oratorem forem sem aut suasorem audiant, ut illud ad oratorem, einsque dicendi facultatem, hoc ad rem ipsam oratione pertractatam pertineat, illud in sola animi sententia et suavi, quae cum ea coniuncta est, per motione (delectatione et admiratione) subsistat, hoc auditorem simul ad aliquid agendum omittendumve impellere debeat; ideoque et rerum, de quibus iudicetur, et eorum, quae vel sequantur iudicium, vel cum eo sint coniuncta, maximum esse discrimen ⁵⁰⁾.

§. 6.

Quodsi iam omnis indoles, natura, atque finis omnis illius orationum generis, quod maxime ad laudem, admirationem, delectationem comparatum est, ostendit, vim eloquentiae perperam ita definiri, ut sit facultas ad persuadendum accommodate dicendi; multo minus poterit haec sententia ad illam eloquentiam transferri, quae ex latiori vocabuli usu omnia scriptionum genera (quae indole atque consilio plurimum inter se differre nemo ignorat) complectitur. Jam quum alio loco (in prolegomm. §. 2.) viderimus, CICERONEM interdum eloquentiae, orationis, et oratoris vocabulis latiorrem significationem tribuisse, debuit omnino eo loco, ubi eloquentiae

50) Hinc rectius CICERO, missa moderatoris ita ut aut delectetur, aut hac subtilitate, auditorum genera statuat aliquid. Statuit autem aut de ita constituit partitt. oratt. c. 3. §. 10. praeteritis, ut iudex, aut de futuris, aut auscultator est modo, qui audie, us senatus. aut discepiator, i. e. rei sententiaeque

tiae finem persuasionem constituit, addendis quibusdam cavere, ne quis eloquentiae sensu latiori sumtae finem indicari putaret. Quas cum ita sint, ex omni hucusque instituta disputatione nostra hoc sequi intelligimus, utrumque scriptorem in eo errasse, quod dicendi facultatem in universum ad persuasionem referret, ideoque recte taxari, hoc tamen discrimine, ut ARISTOTELES, qui nonnisi orationum (quae proprie dicantur) finem hac ratione constituerit, neque aliis locis (id quod CICERONEM fecisse vidimus) fatis aperte declaraverit, scriptores ἀόγων ἐπιδεικτικῶν minime in eo elaborare, ut auditoribus sententiam aliquam persuadeant, omninoque argumentatione nisi vera, ita tamen speciosa, ut facile ipsum fallere posset, ad illam sententiam fuerit perductus, magis sibi constituisse et facilius excusari posse videatur.

§. 7.

At multo magis a via aberrent necesse est, qui persuasionem illam (quam veteres illi artis rhetor. scriptores recte generis iudicialis ac deliberativi, perperam omnis dicendi facultatis primarium finem constituerunt) ad eloquentiam nostrae aetatis in universum transferri posse existiment. Quanquam enim apud Anglos et Francogallos genus aliquod eloquentiae forensis hucusque obtinuisse non ignoramus, omnis tamen indoles illius atque natura ab eloquentia forensi Graecorum Romanorumque nonnihil differt. Nam si persuadere ex antiquo illo huius vocabuli usu supra (§. 1.) explicato ii dicuntur, qui non tantum argumentationis gravitate et veritate, sed etiam usu argumentorum, quae interdum magis speciosa sint, quam vera, atque animi motu vel leniori vel graviori auditoribus adferendo alios ad sententiam suam perducere student, nemo facile negabit, talem persuasionem tum optime effici posse, ubi partim materia, in qua tractanda orator versetur, iis, quae ad Phantasiae vim excitandam, mentemque permovendam plurimum valeant, sat

tis opportunum locum concedat, partim indeoles auditorum ea facile admittat. Sed quo magis utraque res oratoribus antiquis facta esse videtur⁵¹⁾, eo minus eloquentia forensis, quae nostra aetate obtinet, his commodis adiuvatur. Illi enim, si quem defensuri erant, vel accusaturi, coram frequenti iudicium confessu loquebantur; si aliquid suadebant, vel dissuadebant, nunc a collegio senatorio, nunc a populo audiebantur. Alia est rerum facies nostra aetate. Neque enim tot tamque diversae aetatis indolisque auditores oratori forensi aures praebere videmus, neque omnino eandem esse populo ad rem publicam gubernandam et administrandam vim atque potentiam concessam. Hinc illis quidem Graecorum Romanorumque oratoribus licuit, nunc omnes dicendi faces ad inflammandos auditorum animos admovere, nunc leniori genere dicendi, aut contrariis affectibus excitandis cupiditates restinguere, saepiusque callide magis et speciose, quam vera disputare. Intelligebant enim, nisi omnes, plurimos tamen eorum, ad quos loquerentur, ita esse comparatos, ut facile quavis ratione moveantur, et saepe illis artibus potius, quam docta et subtili argumentatione ad sententiam aliquam perducantur. Contra qui nostra aetate orationes iudiciales et deliberativas vel legunt vel audiunt⁵²⁾, cum plerumque partim rerum sint peritiores, partim aetate longius proiecti, ita ut de eiusmodi rebus aliter soleant iudicare, quam iuniores, fervidiores, mobilis et ineruditata multitudo, non tam moveri volunt, et delectari, quam edoceri⁵³⁾. Accedit, quod apud veteres,

51) Breviter quaedam hac de re disputat CHRIST. AUG. CLODIUS de praefatiis eloquentiae Romanae, Lips. 1762. 4. p. 16.—18.

52) Scriptas olim fuisse apud Francogallos orationes generis deliberativi neminem fugit.

53) Nolumus tamen adfirmare, omnes, qui coram hominibus doctis et cultioribus loquantur, prorsus oportere ab iis abstinere, quae ad Phantasiam oblectandam et affectus excitandos pertineant. (Cfr. CAMPBELLII Philos. Rhetor. saepius laudat.)

iura, leges, edicta, et, quaecunque ad iurisprudentiam pertinenter, arctioribus limitibus essent circumscripta, neque rerum multitudo, neque definitionum, divisionumque copia cum ambitu et subtilitate iurisprudentiae nostrae aetatis comparanda, ideoque multa iudicium prudentia potius et aequitate, quam iuribus, legibus, edictis accurate constitutis dirimerentur. Poterant igitur vel hanc causam oratores forenses liberius evagari, ad sensum communem provocare, ex iis argumentari, quae facile animum uniuscuiusque civis (et si minus esset legum peritus) vel odio inflammarent, vel misericordia delinirent, neque in legibus, decretis, aliquisque scriptis adferendis et operose ac subtiliter explicandis ita multum diuque commorabantur. Eodem modo, qui alterum genus orationum, (deliberativum,) apud veteres tractabant, multo planiori, explicationi, et ad multitudinem captandam accommodatori disputandi dicendique genere vel propterea uti poterant, quod iis minime esset ad subtiliora, altius repetita, et a communi intelligentia remota Metaphysics, et iuris naturae, gentium, civitatumque principia (illis maximam partem ignota) redeundum, sufficeretque ea aetate, uti praeceptis prudentiae civilis, quae ab ingenio, indole, intellectu multitudinis congregatae non abhorrerent, exempla maiorum laudare, aliarum civitatum instituta, facta, eventa similia commemorare, ad testimonia virorum, qui virtutis et sapientiae fama pollerent, provocare. Sic omnem vides indolem eloquentiae forensis, quae nostra aetate obtineat, ab orationibus iudic. et deliberatt. Graecorum Romanorumque, ut umbram ab homine, differre, neque iam locum habere eam, de qua veteres cogitaverint, persuasionem. (Vd. quae de eloquentia forensi disputatione HUGO BLAIRIUS: *Vorlesungen über Rhetorik* etc. T. III, prael. 26.).

p. 354—36.). Attamen longe mo- tales auditores potissimum loquatur, deratior et prudentior harum rerum quam ab iis, quos indocti audiant. usus fieri debet ab oratore, qui ad

At

At forte provocabit aliquis ad eloquentiam sacram; cuius primarius finis quum in eo versetur, ut eos, quibuscum agat, ab omni vitiositatis genere deterreat, et ad virtutem atque honestatem colendam adducat, neque ad doctos tantum et rerum illarum peritos iudices, sed ad auditores aetate et indeole diversissimos pertineat, recte videatur ad persuasionem referri. Accedit ipsa rerum, in quibus tractandis orator sacer elaborat, natura. Gravissima proponit et sanctissima religionis decreta morumque praecepta, quorum ipsa cogitatio, si vel nulla oratoria facultas accedat, facile possit animum cuiusvis, qui non omni sit veri, boni, et honesti sensu destitutus, nobilissimis sensibus inplere, et ad omnem vitae rationem voluntati divinae accommodate instituendam inpellere ⁵⁴⁾. Neque tractandis explicandisque notionibus universis (quae propter omnem illarum rerum naturam in orationes sacras frequentissime incident necesse est) prorsus impeditur, quo minus ad Phantasmum auditorum loquatur. Intelligimus enim concionatori sacro uberrimum patere fontem exemplorum, quae ex vita communi, historia Iesu Christi et Apostolorum, narrationibus parabolisque libris codicis sacri insertis petantur ⁵⁵⁾. Siccine igitur, quo iure veteres generis judicialis ac deliberativi, eodem nostri eloquentiae sacrae finem primarium constituant persuasionem? ⁵⁶⁾ Interesse vel hic vi-

H 2

de-

54) Bene vidit JENISCHIUS in annotatt. libro CAMPBELLII laud. subiectis p. 46. vim illam et efficaciam orationis, quam veteres διανόηται appellarent, nulla ex re facilius quam ex ipsa officii cogitatione oriri.

55) De usu historiarum oratori sacro maxime commandando cfr. CAR. FRIED. BAHRDT *Rhetorik für geistliche Redner, mit Zufäßen und Vorrede von Büchling* (Halle, 1798. 8.) p. 51. sqq.

56) Fuerunt quidem, qui omnino indignum putarent gravissimo oratoris sacri munere et officio homines ad virtutem cohortandi, ad eam rem efficientam inferioribus uti animi humani viribus; neque nisi eam virtutem, quae ex libero animi nullis motibus perturbati arbitrio fuerit enata, hoc nomine dignam vellent haberi. Vd. S. V. KANTII *Kritik der Urtheilskraft* (Berlin, 1799. 8.) p. 216. sq. cuius sententia non omnino abhorret a Sto-

co-

duceret. Hinc persuasio illa, ad quam oratores vett. tendebant, cito debuit ac subito vim suam in animos hominum exferere, omnibus eloquentiae machinis in unum quasi congerendis. Accedit denique, quod ipsa argumenti et loci dignitas et sanctitas quaedam concionatori sacro usum praesidiorum quorundam (quae quantum ad persuasionem illam contulerint, ex oratoribus antiquis discimus.) v. c. Iusus verborum et sententiarum, cuiusvis generis facetias, actionis vehementiam, interdicit.

Sic facile quemvis, ni omnia me fallunt, accurior omnis orationum earum, quae apud nostrates maxime in usu esse soleant, indolis atque naturae contemplatio docebit, eam, quam CICERONEM et ARISTOTELEM exhibuisse vidimus, eloquentiae definitiōnem non omnino posse ad eloquentiam nostrae aetatis transferri ⁵⁹⁾. Praeterea vix est, quod moneamus, plurimos eorum, qui nostra aetate existenterint, huius artis scriptorum, eloquentiae et rhetorices vocabulis saepe latiori sensu ita uti solere, ut omnem omnino bene scribendi facultatem, (*Theorie des Styls überhaupt*) de qua vix aliquem ita perperam iudicaturum esse existimo, ut finem omnium scriptionum generum ad persuasionem referat, complectantur.

§. 8.

59) De aliis orationum generibus nostra aetate non omnino abrogatis, ad gravitatem et solennitatem rituum quorundam augendam, benevolentiam conciliandam, ostentationem et oratoris commendationem, auditorum oblectationem comparatis (quo pertinent orationes, quibus vel Principi, vel aliis, qui de civibus bene meriti fuerint, publice gratiae aguntur, quibus novam munieris rationem ineuntes, aut provinciam, quam

hucusque tenuerant, deponentes benevolentiae aliorum se se commendant, omninoque plurimae earum, quae in scholis et Academiis solent haberi) de iis, inquam, eorumque fine et consilio plerumque ea valere existimo, quae supra de genere *enಡeautuñ* disputavimus (nisi vel subitae sint dictiones, vel commentationes potius, quae nil nisi nomen habeant cum orationibus commune.).

§. 8.

Age iam, videamus, num **QUINCTILIANUS** de fine eloquentiae rectius senserit. Jam supra vides, multa ab eo contra illos rhetorices scriptores disputata fuisse, qui rhetoriken ita definirent, ut esset facultas persuadendi, aut dicendo persuadendi. At nolim haec ita intelligi, quasi negaverit, oportere oratorem eo tendere, ut auditoribus oratione persuadeat. Etenim, ut taceam, contrarium ex iis apparere, quae l. 3. 4. 5. 6. de orationibus iudicialibus, ac deliberativis, de partibus orationis, de affectibus excitandis, de risu movendo, aliisque disputat, quae maxime ad persuasionem pertineant, non ea de causa illam rhetorices definitionem taxavit, quod oratores ad persuasionem tendere negaret, sed, quod notionem persuasionis, cum neque solus orator id faciat, neque nunquam hoc consilio excidat, vi rhetorices recte definienda non accommodatam esse putaret (vd. §. 3.). Contra, finem illum non posse ad omnia orationum genera transferri, (quod gravissimum huius definitionis vitium esse vidimus) id etiamsi non omnino ignoravit, tamen non ea, qua par fuit, diligentia ponderasse videtur. Nam l. 2. c. 15. quum aliam rhetoriken definiendi rationem, ut esset facultas bene dicendi, commendasset (§. 34.)⁶⁰⁾ diserte monuit, noluisse se alium plane dicendi facultatis finem constituere (§. 35.) *idem sentiret* (vel, ut Cel. SPALDINGIUS bene coniecit, *sentit et*) *finis hoc modo comprehensus, persuadere quod opereat, nisi quod artem ad exitum alligat.* Cfr. c. 17. §. 23. tendit quidem ad victoriam, qui dicit, sed, cum bene dixit, etiamsi non vincat, id quod arte continetur, efficit.

JAM

60) Verba haec sunt: *hunc substantiae (rhetoricae) maxime convenit finis, rhetoriken esse bene dicendi scientiam (i. q. facultatem, vd. nota n. 26.) coll. §. 38 bis approbat, simul manifestum est illud quoque, quem finem,*

vel quid summum et ultimum habeat rhetorice, quod rēdōc dicitur, ad quod omnis ars tendit. Nam si est ipsa bene dicendi scientia, finis eius et summa est bene dicere.

Jam innuit quidem l. 3. c. 7. §. 3. haud obscure, genus orationum demonstratiuum non omnino posse ad persuasionem referri: neque inficias eo, esse quasdam ex hoc genere materias ad solam compositas ostentationem, ut laudes Deorum virorumque, quos priora tempora ruerunt. Cfr. §. 6. sed proprium laudis est, res amplificare et ornare. Neque tamen id prohibuit ipsum, quo minus quemvis oratorem ad persuasionem tendere diceret. Videtur enim fere idem QUINTILIANO accidisse, quod ARISTOTELEM fefellerit vidimus, ut, cum utriusque orationum generis (et illius, quod ad iudicium et deliberationem, pertineret, et demonstrativi) similitudinem quandam in modo res tractandi conspicuam animadverteret (vñl. l. 3. c. 7. §. 4. 6. ut desiderat autem laus, quae negotiis adhibetur, probationem, sic etiam illa, quae ostentationi componitur, habet interim aliquam speciem probationis — quaedam vero etiam in defensionis speciem cadent) in discrimen, quod fines utriusque generis intercederet, non diligentius inquireret. Haec teneat necesse est, definitionem rhetorices QUINTILIANO probatam ⁶¹⁾ recte examinaturus. Etenim si quis sententias aliorum, qui notionem quandam accuratius definire voluerint, vitiis obnoxias arbitratus, aliam eandemque meliorem commendatūrus est, ipse facile reprehensionem incurret, nisi partim satis idoneis gravibusque causis ad illos improbandos fuerit adductus, partim eam proponat, quae neque iisdem nominibus possit reprehendi, neque aliis vitiis laboret. Jam vidimus quidem, esse omnino satis idoneam causam, cur a sententia eorum, qui eloquentiam putaverint facultatem esse ad persuadendum accommodate dicendi, recedamus; attamen longe ab iis, quae nostrum mo-

ve-

61) Non primus invenit eam QUINTILIANUS, sed ab aliis propositam nec tamen iisdem verbis comprehensam ita exhibuit, ut et

verba mutaret, et subtilius in eam inquireret. Ipse enim h. l. laudat similes CHRYSIPPI et ALBUTII sententias.

verint, diversam, eandemque veriorēm et graviorem. Neque difficile est, intelligere, definitionem nostro probatam minime ita esse comparatam, ut omnia efficiat, quae noster illius usu effici putaverit, finemque et naturam huius facultatis bene exprimat. Quanquam enim ita cavetur, (si quis hoc semel putet cavendum) ne orator ab aliis, qui dicendo persuadeant, non differre, aut, ubi non persuaserit, non amplius orator esse videatur, vehementer tamen dubito, num (l. 2. c. 15. §. 34.) recte monuerit, *hanc finitionem etiam mores oratoris complecti, cum bene dicere non possit, nisi bonus.* Intellegimus quidem causam, cur eum tantum bene dicere putaverit, qui ipse sit vir bonus et honestus, ex l. 12. c. 1. ubi bene monuit, partim non posse, nisi mentem vitiis liberam eloquentiae studio recte vacare, partim bonum tantum atque honestum virum de aequo et bono ita, ut rerum dignitas exigat, dicere, aliquis bona et honesta ita persuadere, ut nulla appareat simulatio. Sed quum ipsa formula: *bene dicere, per se spectata, valde sit ambigua,* neque ubique de bonis tantum hominibus atque honestis adhibeatur, vix fieri potest, ut is, qui nondum vim et naturam eloquentiae plane perspexerit, omnia, quae ad mores oratoris bonos et honestos pertineant, animo comprehendat, si ei simpliciter dicamus, eloquentiam esse bene dicendi scientiam, neque iam accuratius explicemus, quot et quanta rō *bene dicere* involvere velimus. Idem varius illius formulae usus hanc definitionem alia de causa damnare videtur. Nam quum bene aliquid dicere, aut omnino bene dicere haud raro si dicantur, qui prudenter, acute, festive aliquid admonent, vel a verbis male ominatis abstineant, vel ea proferant, quae alicui grata sint atque iucunda, quidni idem licet **QUINTILIANO** vitio vertere, quod ipse contra alios monuit, non significari definitione propriam oratoris virtutem? Denique vel sponte apparet, scriptorem nostrum graviter in eo errasse, quod hac ratione summum finem, ad quem omnis eloquentia tendat, indicari putaverit.

Nam quemadmodum omnes alii artifices non ea de causa artis opera exhibent, ut exhibeant, ita nec oratores propterea bene dicunt, ut bene dicant, sed alium eundemque superiorem finem sibi proponunt (sive ad homines edocendos, sive ad delectandos, sive ad commovendos pertineat) cuius causa bene dicant. Noluimus tamen hac disputatione nostra QUINTILIANO omnem laudem detrahere. Nemo enim facile negabit, scriptorem nostrum, et si a vero aberraverit, tamen multo subtilius et accuratius, quam CICERO et ARISTOTELES rem indagasse⁶²⁾.

§. 9.

Quaenam tandem de fine eloquentiae sententia nobis maxime probanda, et cum omnis omnino dicendi facultatis proprie dictae, tum eloquentiae nostrae aetatis naturae atque indoli accommodationior esse videatur, eo brevius nunc indicare licebit, quo artius eam rem cum iis, quae modo de diversis, quae nostra aetate in usu esse soleant, orationum generibus disputavimus, coniunctam esse videmus. Nam quum triplex potissimum orationum genus recte constitui possit (primum earum, quae maxime sunt ad animum commovendum et voluntatem hominum moderandam compositae, secundum earum, quae praecipue in edocendis auditibus versentur, tertium denique, quod magis animi oblectationi inserviat) neque omnino usus vocabulorum: *oratio*, et *orator*, ita debeat circumscribi, ut nonnisi primo generi recte convenire pu-

62) Ceterum non desunt quidem de causa, quoniam maxima efficacia CICERONIS loca, quibus eloquentia appelletur facultas bene dicendi, et summa laus eloquentiae ex ipsa elocutionis ornatu nascitur). Sed et oratores, qui bene dicant. Cfr. facile omnis orationis series ostensio. I. 1. de or. c. 6. §. 21. I. 2. c. 2. in. dit, noluisse scriptorem nostrum ita I. 3. c. 15. §. 57. I. 1. c. 12. §. 50. hisce formulis uti, ut finem et naturam eloquentiae accuratius defundi scientia dicitur haud dubie ea niret.

temus (id quod Cl. MAASIO locis supra in nota n. 57. laud. PRIESTLEY: *Vorlesungen über Redekunst und Kritik, aus dem Englischen übers. von Jo. JOACH. ESCHENBURG, Leipzig, 1779.* 8. p. 71. et allis placuit) facile videbimus, non posse omnium orationum omnisque dicendi facultatis unum eundemque summum finem constitui. (Nolo enim scriptorum quorundam recentiorum causa⁶³⁾, qui primarium oratoriae facultatis finem in eo ponant, quod nostri Ueberredung appellant, repetere, quae §. 1. et in nota n. 56. monui). Attamen necesse est, diversa genera orationum (sive ad legendum, sive ad recitandum sint compositae) in eo convenient, quod et ipsius rerum argumentorumque delectus, et omnis tractationis atque elocutionis naturae ratione habita via quadam ipsis propria ad scopum propositum tendant. (Vide quae in nota n. 40. disputavimus). Hinc omnino rectius haec in re versari videntur, qui, orationis proprie sic dictae notione ita constituta, ut pateat, quanam ratione orationes et a commentationibus et a poëseos operibus differant, eloquentiam simpliciter dicant facultatem esse orationes fini, quem sibi orator proposuerit, accommodate compendi et recitandi. (Cfr. SULZERUS: *allgemeine Theorie der schönen Künste*, T. IV. sub v. *Redekunst*. HUGO BLAIRIUS: *Vorles. über Rhetorik etc.* T. II. p. 237. CAMPBELLII Philos. Rhetor. p. 33. sq.)⁶⁴⁾. Sic absoluta videri posset enarratio eorum, quae CICERO

I 2

de

63) Sic v. c. auctor libri: *Allgemeine aesthetische Grundsätze für Anfänger mit Anwendung auf Diebtkunst und Beredsamkeit* (Halberstadt, 1795. 8.) eloquentiam definit formula: *Geschicklichkeit zu überreden.* Simil. V. Cl. Jo. AUG. EBERHARDT: *Theorie der schönen Künste und Wissenschaften*, (Halle, 1790. 8.) p. 16. de rhetorice haec dicit: *die Wissenschaft*

der Regeln der Schönheit einer Rede, die Unterricht und Ueberredung zur Absicht hat, ist die Rhetorik in weiterer Bedeutung; wenn sie allein Ueberredung zu ihrer letzten Absicht hat, die Rhetorik in engerer Bedeutung.

64) Quod si quis haec omnia una velit enunciatione breviter complecti, definitio eloquentiae integra sic fere constituenda videtur: eloquen-

tia

de fine primario eloquentiae senserit, illiusque sententiae cum aliorum scriptorum decretis comparatio, nisi omnes facile in disputatione nostra aliquid desiderarent, cuius antiquos pariter ac recentiores huius artis scriptores mentionem iniecerint videmus. Quanquam enim diversa esse oratorum consilia cognovimus, ipsa tamen propria orationum, quae recte possint hoc nomine venire, et oratoriae facultatis indoles atque natura ita est comparata, ut omnes oratores, ne iis quidem exceptis, qui non tam oblectare velint, aut animo commovendo voluntatem hominum moderari, quam ad docere, orationis venustati, et, quae inde nascitur, auditorum voluptati, inservire oporteat. Unde maxime ad consilii nostri rationem pertinere intelligimus, quid TULLIUS noster de delectatione cum persuasione, quae ex ipsis sententia primarium finem eloquentiae constitutat, coniungenda senserit, cognoscere, atque examinare. Qua de re capite secundo huius commentationis expofitum termini libello praescripti admonebant, ut, dilatis in aliud tempus, quae hac de re paullo uberioris disputanda viderentur, finem scriptio[n]i meae inponerem.

tia est facultas componendis recitandise scriptionibus et dictionibus, quae et rerum sententiarumque delectu atque tractatione, et elocutione ita sint comparatae, ut pariter ad rationem, quam ad Phantasiam animalium sensus loquantur, vel docendi, vel voluntatem hominum moderandi,

vel honeste oblectandi. (Beredsamkeit ist die Kunst, durch schriftliche und mündliche Vorträge, welche auf Vernunft, Phantasie, und Gefühl in gleichem Verhältniß wirken sollen, entweder vorzüglich zu belehren, oder den Willen zu bestimmen, oder Wohlgefallen zu erregen).

T H E S E S.

I.

Multitudo scholarum rei scholasticae nostra aetate magis obesse, quam prodesse videtur.

II.

Philosophia Kantiana nec potest recte nec debet usui hominum indoctorum accommodari.

III.

Usus chori, qui apud veteres comoediarum et tragoeiarum scriptores frequentissimus fuit, non omnino debuit a theatris nostris removeri.

IV.

Si librum *interpretari* recte dicuntur, qui sensum singulorum locorum eum exhibeant, de quo scriptorem cogitari voluisse argumentis grammaticis, philologicis, logicis, historicis vel certo possit demonstrari, vel probabile reddi; *interpretatio librorum N. T. moralis*, qualem haud pauci Theologi scholae Kantianae addicti commendant, locum habere non potest.

T H E S E S

de fine rebus. discutitio. In hinc. illius. sive. etiam. sive
rum. territoriorum. discretio. praeceptorum. non. omnes. facere. ne. dicere.
non. nostra. aliquid. desideramus. cum. antiquos. pacem. ac. ceteras.
ceteras. huius. artis. territoriorum. in. Imae. inservire. videamus. Quan-
do. ergo. editio. editionis. leti. teologicae. noluntur. obtinere.
propria. orationum. quae. in. libro. eiusdem. habentur. ut. eis.
in. facultate. indebet. esse. et. in. eis. in. omnes.
statuerit. ut. in. predictis. eis. II. qui. non. tam. objectare. velint.
imod. nulli. sed. habent. aperte.

E m e n d a n d a.

Pag. 7. lin. 1. lege: de or. l. 2. c. 12. §. 51.

controversiarum.

— 9. — 9. — 1. 3. c. 22. §. 85.

— 14. — 8. — *paecandum.*

— 20. — 13. — *constitisse.*

— 29. — 8. — *constitisse.*

— 31. in nota n. 26.) bis l. βητορίης et πολεμίης.

— 32. in nota lin. ult. columnae Imae *nuda.*

— 34. lin. ult. l. tam.

— 43. in nota l. II. col. I. *ad persuasionem.*